

20.363

~~Carpetta 73~~

Foll. 20. 363

PROPOSITIONES

HISTORICA ET CHRONOLOGICA

METHODO DISPOSITAE,

QVIBVS

VERAE RELIGIONIS,

QVAM ECCLESIA DEI AB INITIO MVNDI

AD NOSTRA TEMPORA PROFESSA EST,

SPECIMEN ALIQVOD EXHIBET AC TVETVR

FR. SALVATOR BOTAS

CARMELITANAE SCHOLAE THEOLOGVS:

CVI PRAESES ADERIT

P. FR. ANTONIVS MVT

EIVSD. ORD. PHILOS. PROFESSOR.


CERTAMINI LOCVM PARABIT

ORCELITANVM CARMELITARVM TEMPLVM

DIE

MENSIS

ANN. CIOICCLXXX.



VALENTIAE HEDETANORVM

EX PRAELO IOSEPHI ET THOMAE DE ORGA

CIOICCLXXX.



R. 20. 363

UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY

1950

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

TORONTO, CANADA

100 UNIVERSITY AVENUE

EXC.^{MO} AC REV.^{MO} P. MAG.

FR. IOSEPHO ALBERTO XIMENEZ,

VNIVERSO CARMELITARVM COETVI PRAEFECTO,

INTER HISPANIARVM SVPREMI ORDINIS

Magnates adnumerato, Sacrae Rituum

Congregationis Consultori,

cet. cet. cet.

FR. SALVATOR BOTAS,

ADDICTISSIMVS ET OBSEQVENTISSIMVS FILIVS

PERPETVAM FELICITATEM.



Ingularis illa humanitas, moresque suavissimi, quibus maxime polles, EXCELLENTISSIME ac REVERENDISSIME PATER, ita me veluti neruo deuinctum tenent, vt haud prius de hisce

thesibus disponendis, quam de eisdem TVO inscribendis nomini cogitauerim. Vtinam vero hoc potissimum tempore, quo, TE auctore, litterae in vniuerso Carmelitarum coetu maxime

flo-

florent; aliquid **TE** vno dignum exhibere possem, quo meum
in **TE** studium, atque de Theologicis disciplinis iudicium,
quale illud cumque sit, posteris abunde testatum relinquerem.
Sed quando id minus suppetit, **EXCELLENTISSIME** ac
REVERENDISSIME PATER, offerendas saltem **TI-**
BI duxi hasce propositiones, in quibus aliquod verae Reli-
gionis specimen, a mundi exordio ad nostra tempora, tueri
pergo et adnitor: leuidense quidem munusculum; sed ani-
mi tamen grati **TVIQVE** amantissimi nuntium fidissimum,
ac testem locupletem planeque incorruptum. Accipe ergo
illud porrecta, uti soles, ac benigna fronte; meque ipsum
TVAE clientelae adscribe; ut, **TE** conatibus tandem meis
fauente, vberiores in dies fructus ex orbe Theologico decer-
pere possim et valeam. Nec est profecto cur aliquis mihi
succenseat, si veluti anser obstrepere ausim ol. ci. Quid ni?
Nemo enim vnus est, qui **TVAM** comitatem non videat,
non miretur, non laudet. Ecquis autem est, qui incredibili-
lem **TVAM** sapientiam singulari cum humanitate coniunctam
non intelligat, non fateatur, non praedicet? Vel ipsis lippis
ac tonsoribus notum perspectumque est, quo plausu scholas
frequentaris, siue scholasticas concertationes habueris; quo
fructu in celebrioribus insignioribusque Ecclesiis Dei verbum
populo nuntiaueris; qua demum dexteritate (ut cetera mit-
tam) ab implicatissimis **TE** negotiis expedieris. Ut propterea
neminem mirari oporteat, si qui in vrbe Hispaniarum domina
Apostolicae sedis Nuntius vulgo audit; si eminentissimus quoque
Romanae Ecclesiae Cardinalis dux Eboracensis, **TE**, prouido


sane consilio, delegerint Theologum, quem in rebus maxime dubiis consulerent. Coetus ipse noster, ne tam praeclarae animi TVI dotes intra vnius prouinciae fines coërcitae delitescerent, ad generalia totius Ordinis comitia TE mittendum curauit, vt quam sapientiae lucem nobis hæcenus adsuderas, exteris quoque hominibus, nec sine ingenti nostratum gloria, communicares. Neque nostra tum nos fefellit opinio. Ibi enim vel de facie vix agnitus, vsque adeo tamen probabilis omnibus exististi, vt mox a secretis Reuerendissimi Patris, totius Hispanae nationis nomine; dein vniuersae familiae nostrae (qua late patet) Procurator Generalis, plaudente Roma, bonisque omnibus flagitantibus, renuntiatus, ea gloriosissime patraueris, quae TE ad supremam ordinis praefecturam ex communi omnium suffragio euexerunt. Vniuerso sodalicio praepositus, incredibile dictu est, quot quantaque in Hispaniis, Galliis, Italia, et Germania dissidia emererint, TVA prudentia composita, ac plane sopita, peropportunis hanc in rem latis legibus, quibus et priuatum nostrum, et publicae rei bonum mirifice iuuaretur. Catholicus quoque rex CAROLVS III. (quem diu superi nobis sospitent) inter primi ordinis TE proceres adlegit; supremus Castellae senatus pluribus, neque ignobilibus Ecclesiis praeficiendum censuit; et ipsum Romanae Ecclesiae caput non modo inter S. Rit. Congr. Consultores numerandum voluit, sed et vniuersi ordinis nostri moderatorem designauit a nemine deinceps amouendum. Id autem Principibus Christianis, quibus apprime notus et carus es,

sum-

summopere placuisse, ille solus negauerit, qui vel in ipso meridie voluerit coecutire. Quid plura commemorem? Sed iam manum de tabula, ne TIBI velle videar palpum obtrudere, qui me laudatore plane non eges. Supersedeo igitur a praeclaris TVIS facinoribus, egregiisque scriptis commemorandis, quibus rem Ordinis, et litterarum publicam fouisti ac ditasti. Quae omnia ubi semel cum humanitate TVA contulero, dispeream nisi in spem maximam adducor, fore aliquando, ut qui TVIS TVORVMQVE vestigiis insisto, ad studiorum tandem metam, prout in votis est, quam felicissime perueniam. Deus conatibus nostris adspiret, TEQVE in Pylios annos seruet incolumem, ut et TVOS clientes foueas, et nostri Hispanique nominis gloriam longe lateque propagare pergas. Ex nostro Orcelitano Carmelitarum Coenobio Kal. Dec. M.DCC.LXXX.



PRIMA MVNDI AETAS.

1.  Eus Opt. Max. natura vnus , per- *Mundi crea-*
sonis trinus , ineffabilis , infinitus , *tio*
immensus , immutabilis , aeternus ,
omnipotensque , mundum voluit in
tempore condere , coelum videlicet , et terram.
2. Incertum est autem , an illum simul , et eodem
temporis momento ; an sex dierum naturalium spatio
condiderit.
3. Vero similis esse statuimus , mundi exordium a *Verno tem-*
verna temperie , omnibus opportuna , sumi oportere. *pore.*
4. Hinc primae annuae reuolutionis , ac ceterarum
omnium post ipsam , initium desumendum nonnulli ar-
bitrantur.
5. Mundus autem hic non ad eum conditus est fi- *Creationis*
nem , vt malorum esset poena spirituum ; sed vt diuina *fnis.*
bonitas creaturis omnibus , ac homini praesertim com-
municaretur.

A

Huic

- Anima ho-* 6. Huic dedit animam, non quae esset diuinae par-
minis, eius- ticulari substantiae, ut tenuere quidam Philosophi; sed
que dotes. immaterialem illam quidem, immortalem, libero arbi-
trio praeditam, gratia habituali, et natiua iustitia orna-
tam, versatili quoque eiusdem gratiae auxilio suffultam.
- Gratiae au-* 7. Hoc illi ad bene agendum sufficiebat.
xilium. 8. Eo poterat expedite humanos actus, cum elici-
tos, tum imperatos, in Deum ipsum ita ordinare, ut
in ipso, tanquam in ultimo fine quiescere, i. e. ad su-
pernam beatitudinem feliciter peruenire mereretur.
- Status inno-* 9. Atque hic est innocentiae status, in quo nesci-
centiae, eius- mus, an aliquod sacramentum exstiterit.
que sacramen- 10. Concessa tamen eius possibilitate, quodcumque
torum possib. illud fuerit, non gratiam medicinalem, sed solummodo
prioris gratiae incrementum conferret.
11. Primo enim homine non peccante, quum ne
Christus quidem venisset, pugnarent utique (quae mo-
do sunt) nouae legis sacramenta.
- Paradysus* 12. Plantauerat autem Deus paradysum voluptatis a
voluptatis. principio, locum reapse in terrae superficie conlocatum,
sed haecenus ignotum; in eoque posuit hominem, quem
formauerat.
- Lignum vi-* 13. Lignum quoque vitae produxit in medio para-
tae. dysi, lignumque scientiae boni ac mali; quae veras fuis-
se arbores credimus.
- Hominis for-* 14. Homo autem, quem Deus primum formauerat,
matio. Adamus fuit, a quo vno humanam progeniem vbique
ter-

terrarum propagatam dicimus ; atque ex eius costa omnium matrem Heuam , non allegorice , (vt Caietanus voluit) sed proprie , ac re ipsa formatam sustinemus.

15. Deus vere , aequissimeque homini praecepit , ne de fructu scientiae boni et mali comederet. *Praecepti A-
dae impositi
transgressio.*

16. Sed diabolus , inuentor malorum , Heuam fefellit ; perque naturalis serpentis linguam et organum ad illius esum instigauit.

17. Et ecce : homo , qui immortalis diuinae gratiae beneficio creatus fuerat , in peccati poenam mortalis euasit , ignorantiae concupiscentiaeque legibus obnoxius. *Poena pecca-
ti , ac mise-
riar. origo.*

18. Hinc miseriarum , quas homo patitur , complexus , tamque rationi rebellis concupiscentia , non a Deo est conditore , vt putauit Pelagius ; sed a peccato quod *Peccatum ori-
gin. et B.
M. V. ab eo
praeseruat.* *originale* vocant , quodque in omnes ac singulos homines carnali generatione prognatos transfusum est , vna demta *immaculata Virgine Maria* , quam Deus speciali *privilegio* ab eo contrahendo praeseruauit.

19. Peccatum autem originis non est mala ac peruersa substantia , vt adfirmavit Illyricus ; *Quid illud
sit ?*

20. Nec ipsius Adami personale delictum ;

21. Sed concupiscentia cum reatu culpae , siue iustitiae originalis priuatione.

22. Contrahitur vero , non arbitrario quorundam scholasticorum pacto ; sed propagatione naturae : eo quod concupiscentia et libidine seminetur corpus , cui lege prouidentiae inseritur anima , quae carnis consortio vitiatur. *Quomodo con-
trahitur ?*

*Hominis a paradiso eie-
ctio, cet.* 23. Homo igitur, diabolicae fraudis versutia actus, Dei obstitit praecepto: atque adeo reiici debuit, non a paradiso dumtaxat; sed a iure quoque adipiscendae beatitudinis, reus tandem effectus, poenas aeternas luendi.

*Paruulorum cum origin.
decedentium poena.* 24. Ab hoc reatu ne paruulos quidem excipimus, qui absque expiatione decedunt: credimus namque illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Eorum beatitudo fictitia. 25. Fictitiam ergo, ac penitus insulsam fabellam credimus, naturalem illam beatitudinem, quam benigniores quidam infantibus pollicentur.

Perditionis massa. 26. Et hic est status naturae lapsae. Haec massa perditionis, quam Deus viderat ab aeterno.

Praedestinato gratuita; 27. Sed ipse omnipotens et clemens, ex omnibus quos gehennae reos agnouerat, quibusdam in perditionis massa relictis, alios certa scientia, decretoque irrevocabili, non ex aliqua meritorum praeuisione, sed ex gratuita ipsius misericordia ad gloriam praedestinavit.

28. Haec vero, quum absque reparationis gratia consequi nequaquam posset; Deus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, praedestinata mortalibus remedia, inter ipsa mundi primordia praesignavit, denuntians serpenti, futurum semen mulieris, quod superbi capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum.

29. Ex huius praeuisis meritis, praedestinatio ad glo-

gloriam , et quae hanc sequitur praedestinatio ad gratiam fit , nullis attentis praedestinandorum meritis , sola liberi arbitrii facultate comparandis ; immo ne attentis *SS. orationes* quidem sanctorum orationibus , quas pro salute pluri-*proficuae.* morum viderat Deus fundendas ; licet hae praedestinat-
tis valde vtilis sint ac proficuae ad salutem re ipsa consequendam.

30. Deus itaque volens omnes homines saluos fieri, *Voluntas sal-* omnibus parauit salutis pretium , sanguinem nempe filii *uandi omnes.* sui pro omnibus effundendum.

31. Atque ex eiusdem filii meritis , quibusdam vberiore gratiam conferre destinavit ; ea scilicet gratiarum beneficia , quibus certissime liberarentur ex illa corrupta massa ii omnes , quos liberare praeordinauerat.

32. Praeordinauerat autem quosdam ad gratiam suae vocationis ; quosdam vero , et ad gratiam , et ad gloriam , non extincto libero arbitrio , quo efficacibus eiusdem gratiae auxiliis adiuti , et ad ipsam gratiam , et ad gloriam certissime , vt decreuerat , peruenirent.

33. Huius decreti ope certo nouit Deus ab aeterno *Futurorum* futuras actiones omnes liberas creaturarum ordinis su- *cognitio.* pernaturalis.

34. Eas etiam , quae re vera futurae non erant ; sed fuissent tantummodo , aliqua apposita conditione.

35. Futura quoque omnia ordinis naturalis certo etiam praecognouit : necessaria quidem , interuentu de-
cre-

creti absoluti ea producendi; libera vero, interueniente decreto permissiuo, et libera caussarum, quas secundas vocant, determinatione futura, supposito eiusdem generali concursu.

Ac in aeternitate praes. 36. Haec autem omnia erant Deo ab aeternitate *obiectiue* (quod sufficiebat) praesentia.

Adami ac Heuae salus. 37. Iam vero Adamus et Heua efficacibus gratiae Dei auxiliis adiuti, a peccato resipiscentes, gratiam consecuti sunt, ac deinceps gloriam.

38. Et vt ad propositum reuertamur: Adamus, in-
ito matrimonio, quod Deo auctore institutum fuerat,
cognouit vxorem suam Heuam, quae Cainum primo in
lucem edidit, deinde Abelem.

*Caini et Abe-
lis sacrificia.* 39. Horum sacrificia, insequentibus temporibus obla-
ta, nascentis iam inde Ecclesiae Dei argumenta sunt eui-
dentissima.

*Nat. leg. sq-
cramenta.* 40. Et quum in nullum Religionis nomen coaduna-
ri homines possint, nisi aliquo signaculorum, vel sacra-
mentorum visibilium consortio colligentur; habuit etiam
tunc Ecclesia Dei, tam pro paruulis aliquod gratiae si-
gnaculum, quam pro adultis nonnulla sacramenta.

41. Et hic est status legis naturae, quae tum erat
morum aptissima norma.

*Legis natur.
notio.* 42. Lex vero naturalis est quaedam legis aeternae,
aliarum fontis, in mente hominum facta transcriptio.

43. Eius notio vna eademque apud omnes est, quod
tinet ad vniuersalissima proximaque principia; sed non,
quod

quod spectat ad minus proxima, et deriuatiua, vt loquuntur.

44. Quod ad primaria praecepta, deleri e cordibus hominum non potest.

45. Sed ne vnum quidem eius praeceptum vel a Deo proprie dispensari potest, siue ex primariis illud sit, siue ex deriuatis.

46. Primum legis naturalis praeceptum, ad quod cetera, quae Deum respiciunt, referuntur, illud est, *Amor Dei, et proximi.* amandi Deum, quem nemo ratione vtens, ob ingentem sibi ideam, ignorare omnino potest; illumque colendi, tum interiori cultu, tum exteriori.

47. Aliud vero, ad quod reliqua facile reducas, est amor proximi, id est, constans ac perpetua voluntas aliis propter Deum bene faciendi.

48. Ceterum homines propriae libertatis abusu in *Legis humanae origo, ac notio.* ius naturale impingentes, legibus coërcendi fuerunt. Et haec est legum humanarum origo.

49. Lex autem humana est quaedam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata: communitatis (inquam) politicae, non domesticae.

50. Lex, prout a legislatore procedit, vtrumque actum, intellectus scilicet et voluntatis complectitur; sed praecipue in voluntatis actu consistit.

51. Lex *essentia sua* referri debet ad bonum commune: et quamquam ex mala legislatoris intentione pro-

ce-

cederet , si illud reapse promouet , verae legis nomine et auctoritate insignitur.

Ius leges con-
dendi.

52. Ius diuinas leges condendi in solo Deo est , qui creaturarum omnium rempublicam moderatur , habetque tum communem de omnibus , etiam abiectissimis et minimis , curam ac prouidentiam ; tum etiam specialem de ratione vtentibus , puta hominibus , pro quibus legem condidit.

Prouid. in
minimis.

53. Ciuiles et Ecclesiasticae leges ab eis condi debent , qui alterutram in subditos habent auctoritatem.

54. Hae , vt obligationem in subditis inducant , promulgari debent.

Legum pro-
mulgatio, cet.

55. At non censentur promulgatae , quod aliquibus utcumque innotescant ; sed necesse est , vt publica auctoritate , seruatis regulis ac sollemnitatibus ab iure et consuetudine praescriptis , proponantur.

56. A legislatoris autem arbitrio pendet , an in prouinciis , an in sola metropoli lex debeat promulgari ; sicut etiam , an statim post promulgationem , an post certum tempus subditos stringat.

57. Ceterum ante promulgationem lex dici nequit *essentialiter* constituta.

Sethi genera-
tio.

58. Sed ad historiae seriem quod attinet , post Abelem a Caïno eius fratre interfectum , Adamus , quum centum et triginta esset annorum , Sethum genuit.

Enosus poly-
theismi auctor
falso creditus.

59. ¶ Hic vero centessimum quintum impleuerat , quum genuit Enosum ; quem polytheismi auctorem falso putat

Mai-

Maimonides , quum e contrario veri Dei cultum frequentioribus , sanctioribusque sacrificiis ac caerimoniis studiosissime promouerit.

60. Enosus annos egerat nonaginta , quum sortitus est filium Caïnanum.

61. Hic vero septuagenarius Malaleëlem genuit;

62. Qui , quum sexaginta quinque esset annorum, procreauit Iaredum.

63. Iaredus vero , sexaginta quinque annos natus, Henochum genuit.

64. Hic Henochus , prophetiam scripsisse fertur; *Henochi prophetia.*
catholicis tamen libris minime adnumerandam.

65. Hominum conspectui viuis a Domino subductus est , ac translatus in paradysum , vbi perspicua diuini numinis contemplatione gaudet , extrema tempora exspectans , in quibus contra anti-Christum cum Helia P. N. venturus propugnatur. *Eiusdem et Heliae status.*

66. Genuerat vero Henochus anno aetatis suae sexagesimo quinto Mathusalam.

67. Hic , quum annorum esset centum octoginta septem , Lamechum generauit.

68. Huius anno quinquagesimo sexto mortuus est Adamus , eiusque cadauer in Caluariae monte Hierosolymis sepultum est. *Adae mors et sepultura.*

69. Centum octoginta duorum annorum erat Lamechus , quum filium habuit Noëmum.

70. Noëmus autem sexcentorum erat annorum , quum

dilunii aquis terram inundaturis ingressus est arcam.

Textus hebraicus graeco praefendus. 71. In chronologica harum generationum deductione, non LXX. interpretibus; sed hebraico textui, ac vulgatae nostrae inhaerendum est.

Anni aequales nostris. 72. Hinc anni, quos singulis Patriarchis scriptura tribuit, aequales nostris erant.

73. Ac propterea prima mundi aetas ab orbe condito ad diluuium annos complectitur quinquaginta sex supra mille sexcentos.

SECUNDA MVNDI AETAS.

74. **E**gressus est ex arca Noëmus cum tribus filiis, Sem, Cham, et Iaphet, ac eorum quattuor vxoribus, postquam in ipsa integrum annum inclusus perstitit.

Matrimonium res sacra. 75. Noëmi filiis ex arca egressis praecepit Deus, vt matrimonio interueniente replerent terram, effussa in ipsos antea benedictione.

76. Hinc, perperam nonnulli haeretici matrimonium *opus diaboli, scortationem, et impudicitiae negotium* uouerunt.

Idololatriae origo, ac Dei unitas. 77. Ex Cham prodiit idololatria; sicut et falsa opinio de duobus diis, mali videlicet ac boni auctoribus:

78. Quum reapse Dominus Deus, rerum omnium creator ac conseruator, vnicus omnino sit.

Cham

79. Cham porro genuit Chus , qui procreauit Nemrodum.

80. Hic fuit primus Babyloniorum rex , siue primus regiae potestatis moderator. *Primus rex, atque origo imperii.*

81. Huiuscemodi autem potestatis origo , non aliunde repetenda est , quam ab eo , *per quem reges regnant, et legum conditores iusta decernunt* ; et a cuius voluntate omnis obligatio parendi principibus emanat.

82. Nembrodum hunc a Belo indistinctum iudicamus : cui successit Ninus , idolorum humanam effigiem repraesentantium auctor ac primus institutor. *Ninus idolorum auctor.*

83. Ab huius tempore , non modo numina naturalia , sed etiam animalia coli coeperunt. At vtrorumque adoratores , vel ipsorum gentilium atque idololatrarum testimoniis , amentiae conuincuntur.

84. Vna cum idololatria , magica quoque ars a Chammi posteris disseminata est. *Ars magica.*

85. Haec si naturalis sit , illicita censi nequit. Maximum tamen ac detestabile scelus est eam profiteri , in qua idololatriae crimen , vel daemonis cultus , siue expressus , siue (vt aiunt) interpretatius continetur.

86. Sed reuertamur ad Semum , qui biennio post diluuium genuit Arphaxadum.

87. Hic autem exacto trigessimo quinto aetatis anno Cainanum secundum genuit , cuius nomen neque re- *Cainanis generatio.* dundat in Euangelio , neque est cur in Genesi desideretur.

88. Cānanus anno aetatis trigessimō genuit Sale, a quo eodem pariter vitae suae anno Heber procreatus est.

89. Triginta quattuor annos natus erat Heber, quum sortitus est filium Phaleg.

*Orbis diuisio,
ac rerum do-
minia.*

90. Sub huius ortum Noëmus, diuinæ voluntatis conscius, terrarum orbem filiis ac nepotibus diuisit, in eumque iusit colonias deducere.

91. Hinc non hominum vsurpatione; sed necessitate, ac Dei ordinatione orta sunt iusta, atque legitima rerum dominia.

92. Phalegus autem, triginta annos natus, genuit Reu; qui, quum annos compleuisset triginta duos, filium habuit Sarugum.

93. Huic, anno trigessimō, ortus est Nachor. Et hic annum agens vicesimum nonum genuit Thare.

*Habraham o-
ritur.*

94. Porro Thare septuaginta vitae annos exegerat, quum Habrahamum, Nachorem, et Haranum generare coepit; sed non ei ortus est Habrahamus, nisi anno vitae centessimō trigessimō.

95. Anno autem Habrahami decimo nata est Sara; quae, quum illius vxor postea fuerit, germana soror esse non poterat.

*Matrim. in-
ter germanos
vetitum I.N.*

96. Neque enim eis adsentimur, qui tam illo, quam praesenti rerum statu, matrimonium inter germanos fratrem et sororem, non naturae, sed humano dumtaxat iure vetitum propugnant.

Ha-

97. Habrahamo septuagesimum quintum aetatis annum attingenti Dominus adparuit, non antea.

98. Haec igitur aetas a diluio ad praedictum Habrahae annum perducta, ex quadringentis quinquaginta sex annis coalescit.

TERTIA MVNDI AETAS.

99. Anno ab orbe condito bis millesimo centesimo decimo tertio, vitae vero suae septuagesimo quinto, Habrahamus vna cum Sara vxore, ac vniuersa familia, Deo iubente, patriam reliquit, atque in terram Chanaan profectus est, mortuo Thare, detestatisque idolis, ac vera religione animo concepta. *Habrahamus in Chanaan proficiscitur.*

100. Fame autem in terra Chanaan dominante, descendit in Aegyptum, vbi Saram, metu mortis, non vxorem; sed sororem, absque vilo mendacio adpel- *Descendit in Aegyptum.* lauit.

101. Neque enim est cur Origeni adsentiamur, mendacia, natura sua mala, rem honestam quandoque fieri posse adserenti.

102. Habrahamus in terram Chanaan reuersus, vbi cumque figebat tabernaculum, altare Domino aedificabat, atque eiusdem nomine inuocato, exteriorem cultum ipsi debitum ac mundo coaeuum renouabat. *Renouat Dei cultum.*

103. Fixit etiam aliquando tabernaculum in conualle Mambre iuxta Hebron.

In-

*Reges deuic-
cit, ac Lo-
thum secum
reducit.*

104. Inde trecentis decem et octo seruis stipatus egrediens, quattuor potentissimos reges, partas ex aliis quinque exuuias referentes deuicit, ac penitus fugauit, secum reducens Lothum cum omni eius substantia.

105. Hoc facto errorem agnoscant suum, qui Deum exercituum ab iis semper stare blaterant, penes quos maior est armorum vis.

*Melchisede-
chi oblatio
fig. Euchar.*

106. Habrahamo victori occurrit gratulabundus Melchisedechus rex Salem, et sacerdos Dei altissimi, proferens panem et vinum: qua in oblatione figuratum intelligimus SS. Eucharistiae sacrificium.

107. Melchisedechus, reiectis nonnullorum placitis, verosimilius creditur fuisse Sem, filius Noë, quamquam et hoc incertum iudicamus.

*Habrahami
peregrinatio
ann. CCCC.*

108. Habrahamo peregrinanti consignauit Deus terram, quam eius filii possessuri erant; praedixitque futurum illius semen peregrinum in terra non sua, seruituti subiectum et afflictum quadringentis annis, quos ab Isaaci ablactatione deducimus.

*Agar Ha-
brahami v-
xor, non scor-
tum.*

109. Postquam vero decem annos in terra Chanaan absque liberis habitauerat, consentiente vxore Sara, ingressus est ad Agar ancillam, quae concepit, ac ei peperit Ismaëlem.

110. In hoc facto nullum agnoscimus scortationis, vel adulterii crimen: ex eoque perperam colligeres, licitum aliquando fuisse concubinas, quae reapse non sint vxores, habere.

Ha-

111. Habrahamo credentium patri constituto imposuit Deus praeceptum circumcisionis. *Circumcisio.*

112. Haec Habrahamo primum, dein eius semini a Deo data est in signum notamque, vt ab aliis gentibus essent discreti.

113. Eam quoque ad delendum peccatum originarium institutam sacrae litterae satis innuunt, fatentur Hebraei, ac docent Patres, et Scholastici illustriores.

114. Habrahamo autem annum nonagesimum nonum, ac Sarae octogessimum nonum agentibus Deus filium promisit. *Sarae filius promittitur.*

115. Saram huiusmodi promissionem irridentem merito reprehendit Deus: qui non modo quod eo tempore factum est; sed et quaecumque voluerit, captum ac desiderium nostrum longe superantia, ac factis meliora facere, absque vlla controuersia potest. *Deipotentia.*

116. Hoc fere tempore, ob execranda facinora, ac praeposteram libidinem, Sodomorum aliorumque oppida coelestis flamma pice ac sulphure animata consumsit: quo ex incendio Lothus, ab Angelis eius domum ingressis a Deoque missis, ereptus est. *Sodoma consumpta, et Lothus liberatus.*

117. Hinc liquet, Angelos adsumere corpora, quibus imprimunt motum. At non sunt merae caussae occasionales, vt nonnulli volunt, qui physicam caussalitatem et efficientiam soli Deo tribuunt; sed physicae, ita tamen operantes, vt propriae operationis vim corporibus adplicent, atque contactum virtutis. *Angeli corpora adsumunt.*

An-

Isaac oritur. 118. Anno igitur mundi bis millesimo centesimo trigessimo nono, Habrahamo iam centenario, Saraque nonagenaria, nascitur Isaacus.

119. Eo post aliquot annos ablactato, dimisit Habrahamus Agarem cum Ismaële filio.

Angelorum adparitiones. 120. Agari autem in Bersabeae solitudine erranti, filiumque fienti siti laborantem, adparuit e coelo Angelus, eique puteum aquae dulcis in solatium ostendit.

121. Ergo Angeli e coelo ad homines mittuntur?

Ita sane.

Isaaci immolatio. 122. Post haec, Isaacus in monte Moria sistitur a patre Dei iussu immolandus: quo facto neque seruis Habrahamus mentitus, neque quidquam aduersus naturae legem meditatus est.

Lex nat. immutabilis.

123. Haec enim mutationi minime est obnoxia.

Sarae obitus. 124. Post haec, mortua est Sara anno aetatis suae centesimo septimo, ac sepulta in Hebron in spelunca duplici, quam Habrahamus emit ab Ephrone Hethaeo filio Seor.

Isaaco vxor quaeritur. 125. Tum Habrahamus seniore ex seruis suis iure iurando constrinxit, vt vxorem Isaaco filio quaereret, non quidem de mulieribus Chananaeorum; sed e patria Haran, ac de sua ipsius Habrahami cognatione.

Angeli custodes. 126. Huic rei perficiendae adfuturum e coelo Angelum praedixit: quo intelligimus, non fidelibus dumtaxat; sed forte singulis hominibus ab ipso eorum ortu custodes Angelos deputari.

Isaa-

127. Isaacus vero , quum annorum esset quadraginta , vxorem duxit Rebeccam Bathuëlis filiam , Nachorisque Habrahami fratris neptem.

128. Post aliquot annos moritur Habrahamus , *Habrahami obitus.* congregatusque est ad populum suum : id est , ipsius anima ad SS. patrum limbum descendit ; corpus vero in memorata spelunca duplici sepultum.

129. Postea vero quam Rebecca Isaaco sexagenario gemellos peperit Esaïm et Iacobum , iterum promisit Deus , quod in semine Isaaci benedicturus erat omnes gentes terrae , eo quod eius pater Habrahamus voci suae obedierit , legesque ac caerimonias custodierit.

130. Iure igitur heterodoxos reprehendimus , quod *Caerimoniae sacrae laudatae.* sacras caerimonias auersentur , Ecclesiae abusum in eis instituendis blaterantes.

131. Senescente Isaaco , Iacobus paternam benedictionem fratri surripuit , se primogenitum Esaïm esse , villo absque mendacio , adfirmans.

132. Deinde , parentibus coniugem accipere de genere Chananaeorum eidem interdicientibus , perrexit Mesopotamiam , vt ibidem vxorem sibi deligeret. *Iacobus et Esaïus exempla bonorum malorumque coniugiorum.*

133. E contrario Esaïus , inuitis parentibus , Chananaeas vxores coniugio sibi copulauit.

134. Et en bonorum ac malorum exempla coniugiorum : eorum videlicet , quae parentum consensu ; vel quae , ipsis rationabilem ob caussam dissentientibus , contrahuntur.

135. Prioris generis et valida et licita coniugia sunt: posterioris autem illicita; quamvis contractus, quoad aliquot effectus dumtaxat valeat, non quoad omnes, praesertim ciuiles.

136. Iacobus ergo Mesopotamiae duas vxores liberas duxit, totidemque accepit in thori consortium ancillas.

*Polygamia
quo modo li-
cita?*

137. Hinc licitam eo tempore polygamiam, Deo Patriarchis dispensante, propugnamus.

138. Seclusa tamen Dei dispensatione, polygamia quae plurium vxorum sit cum vno viro, secundariis matrimonii finibus repugnat, ac primaeuae illius institutioni perfectionique aduersatur.

139. Ea vero, quae plurium virorum est cum vna femina, turpissimum scelus est, ac omnino iuri naturae contrarium.

*Mulierum cu-
riositas da-
mnata.*

140. Post aliquot annos, Iacobo iuxta Sichem commorante, Dina eius filia, ex Lia genita, a Sichimitis visa, concupita, rapta, et violata est.

141. Haec parere solet nimia feminarum curiositas.

*Coniugia fi-
delis cum in-
fideli.*

142. Sichimitis autem cum filiis Iacob connubia, pro iniuriae compensatione petentibus, negata iure sunt; vt pateat, coniugia fidelis cum infideli, licet non irrita; esse tamen communiter prohibita.

143. Interea praecepit Iacobo Deus, vt adscenderet in Bethel; vtque aedificato altari, cum vniuersa domo sua, alienos Deos abiiceret.

Col-

144. Colliges inde, quam illicita atque noxia oeconomicae societati sit falsae religionis tolerantia. *Falsae Relig. tolerantia prohib.*

145. Iacobi, siue Israël's filium Iosephum Ismaëlitis in Aegyptum proficiscentibus ceteri fratres venderunt. *Iosephi venditio.*

146. Per infernum vero, in quem lugens pater ad filium descendere cupiebat, abditas sedes, id est, limbum SS. PP. vel Habrahae sinum in terrae visceribus, a damnatorum tamen ergastulo longe dissitum, plane constitutum intelligimus. *Quid heic infernus?*

147. Interea Iudas, alter ex filiis Israël, Thamarem nulum, quam ob mutatas vestes meretricem putauerat, cognouit grauidamque effecit; vt inde videas, quam reprehensibile ac detestabile scelus sit, vel immodicus vestimentorum cultus, vel personas laruasque induere, quibus illae incedant incognitae. *Reprehend. vestim. luxus, ac laruae.*

148. Iosephus autem in Aegyptum ductus, atque annos triginta natus, praescius futurorum, somnium Pharaoni aperuit: ipsiusque fratres, ceu exploratores; ac Beniaminum, ceu scyphi argentei retentorem, vilo absque mendacio ac periurio, habuit. *Somnium Pharaonis. Benjamin.*

149. Inde Iacobum vocat, qui vna cum sexaginta sex filiis ac nepotibus Aegyptum ingreditur, quum centum triginta esset annorum. *Iacob Aegyptum ingreditur.*

150. Neque huic rei aliqua in scripturis enuntiatio aduersatur.

151. Porro Israëlitaë, ducentis et quindecim annis

post coeptam Habrahami peregrinationem in Chananaea, Aegyptum ingressi sunt.

Iacobi vaticinium de Messia venturo.

152. Iacobus vero, morti proximus, vaticinium edidit de sceptro ac duce de Iuda eiusque femore non auferendo vsque ad Messiae aduentum; qui iam aduenisse huiusmodi oraculo inuicte demonstratur.

Iacobi,

153. Postmodum Iacobus, impertita singulis filiis benedictione, quum annos vixisset centum quadraginta, spiritum Domino placidissime reddidit.

154. Caathus autem filius Leui, anno quinquagesimo octauo post ingressum Iacobi in Aegyptum, genuit Amramum.

et Iosephi obitus.

155. Iosephus tandem, expletis centum ac decem vitae annis, primus e fratribus obiit; postremus vero Leui, quum annos vixisset centum triginta septem.

156. Postea surrexit in Aegypto rex nouus, qui Iosephi immemor, Israëlitas summopere vexauit, graua illis onera ac labores iniungens.

Obstetrices Aegyptiae.

157. Sed illis interea multiplicatis, obstetricibus Aegyptiis praecepit, vt nascentes ex Hebraeis masculos interficerent.

158. At eos illae seruarunt. Et ob hanc pietatem, ac Dei timorem; non autem ob deceptum Pharaonem, munera de manu Dei receperunt.

159. Demum rex ferali decreto mandauit, proiiciendos in flumen omnes Hebraeorum mares, statim ac nati essent.

160. Vigente hac lege , ortus est Moses ex Amra- *Mosis ortus.*
mo filio Caathi ; vt proinde Hebraeus genere , non He-
liopolitanus dicendus sit.

161. Hic aquis expositus , Deo sic ordinante , a fi-
lia regis suscipitur , ac Iocabedae ipsius infantis matri
nutriendus traditur , ea conditione , vt illi postea redde-
retur , in aula regia educandus.

162. Postquam vero Moses , anno aetatis quadrages- *Sephoram v-*
simo , Aegyptium absque homicidii crimine occidit , re- *xorem duxit.*
giamque reliquit aulam , fugit in terram Madian , vbi
Sephoram Aethyopissam , Iethronis Madianitae sacerdo-
tis filiam , in thalami consortium admisit.

163. Praeter hanc , nullam aliam vxorem duxit Mo-
ses , vti quidam contendunt.

164. Non multo post , Dominus in flamma ignis
adparens , seque eum esse dicens *qui est* , Mosis iniunxit , *Mosis diuina*
vt se coram Pharaone sisteret , ac populum ex Aegypto *missio.*
educeret.

165. Verbis autem illis , *ego sum , qui sum :: qui est* ,
cet. diuina natura adeo congruenter explicatur , vt signi-
ficantioribus exprimi non possit.

166. Atque vt Israëlitae diuinam Mosis missio- *Miracula,*
nem crederent , dedit ei Deus potestatem patrandi mi- *opus sol. Dei.*
racula ; quae reapse solius veri Dei virtute patrari pos-
sunt.

167. Quod vero dixerit Deus , se *cor Pharaonis in-*
duraturum , se illud non emolliturum intellige.

In-

Aegyptii spoliantur. 168. Interea Deus Israëlitis praeci- piens, vt ab Aegyptiis amicis ac vicinis vasa vestesque peterent, quas non erant reddituri, nullam eis fraudem praecepit, neque in lege non furandi dispensauit.

169. Mosi autem ad liberandum populum proficiscenti mortem comminatus est Angelus, ob non circumcisum filium suum Eliezer.

Omissae circumcisionis poena. 170. Perperam hinc deduces, huiusmodi omissionis hanc fuisse statutam poenam: quum illa in morte potius animae constituta foret.

171. Rursus Pharaone populum dimittere nolente, Deus animos Mosi de nouo addit; cui nomen suum *Adonai*, hebraice *Iehoua*, reuelat, quod ne Habrahamo quidem, aut Isaaco, aut Iacobo haecenus indicauerat.

Dei notitia Mosi clarius patefacta. 172. Mosi ergo clariorem diuinae naturae notitiam dedit, quam ceteris vsque ad ipsum Patriarchis, manifeste illo nomine declarans, se esse primum, aeternum, summum omnium dominum, cuius voluntati nemo possit resistere, si decreuerit saluare Israël.

Dei voluntas vt impleatur? 173. Hinc Dei voluntas, dum decreto absoluto futura euenta absoluta ordinis cum naturalis, tum superni, siue libera illa sint, siue necessaria, siue etiam conditionata, praefinit, semper adimpletur.

Physica praemotio. 174. Nec propterea credimus, vel actiones liberas creaturarum a Deo physice praemoueri, quod volunt Thomistae; vel humanam laedi libertatem, quod haeretici blasphemant.

175. Octoginta igitur annorum erat Moses , et Aaron octoginta trium , quum locuti sunt ad Pharaonem.

176. Praeceperat autem Deus , vt Pharaone signa *Mosis mirapetente* , ea illi patrarent , quibus et idololatrae reuincula. cerentur ac redderentur inexcusabiles , et vnus tantum numinis existentia demonstraretur.

177. Ob tot patrata signa , Lucius Apuleius , ac Plinius , Mosen magum celeberrimum , nec sine iniuria , adpellarunt.

178. Ceterum , ante egressum ex Aegypto , praecipit Israëlitis Deus , vt annum a mense Nisan inchoarent; *Anni initium a mense Nisan.* a quo probabilius est , eosdem iam antea anni initium desumsisse.

179. Tum eis iniunxit , vt ab ipsa decima die mensis praepararent agnum , luna decima quarta exeunte *Iudaeorum pascha.* imolandum , atque assum post occasum solis comedendum ; et hoc die deinceps Iudaei pascha celebrarunt.

180. Iam ergo Dei potentia victus Pharaon , populum Israël non modo dimisit , sed et exire compulit post *Israëliitarum exitus ex Aegypto.* annos ab ingressu ducentos quindecim , ab ortu Habrahae quingentos quinque , ac demum a promissionibus ipsi Habrahae factis quadringentos triginta , quibus hanc aetatem constare fidenter pronuntiamus.

QV AR-

QVARTA MVNDI AETAS.

*Israëlit. per
desert. pere-
grinatio.* 181. **E**x Aegypto egressi filii Israël , quadraginta annis (incluso plagarum tempore) per inculta et deserta loca peregrinati sunt, vbi magnalia plura sibi a Deo ostensa viderunt.

182. Ac principio quidem , per medium mare rubrum traducti , miraculum celebrarunt , ductis choris, atque viris praeunte Mose , mulieribus vero eius sorore Maria.

*Choreae da-
mnatae , non
laudatae.* 183. Neque hoc mulierum hebraearum facto commendantur , sed damnantur potius adolescentularum nostrarum choreae.

Manna. 184. Post transitum maris , Aegyptiorumque cum suo rege submersionem , Manna singulis diebus e coelo decidente , ac SS. Eucharistiam praefigurante aliti sunt per continuos quadraginta annos , quibus peregrinati sunt in deserto.

Lex Mosis. 185. Interea , constituto monarchico populi regimine , licet aliqua aristocratia temperato , legem digito suo conscriptam ad ipsos mittere dignatus est Dominus ; quam magno signorum apparatu , audiente etiam populo , promulgavit.

*Angelus custos singulis
promissus.* 186. Leges insuper iudiciales , ac ius politicum dirigentes docuit , promisso illas seruantibus Angelo custode ; quem non nationibus tantum , sed et hominibus singulis , praesertim fidelibus , destinari propugnamus.

Pro-

187. Prohibuit quoque , prouido sane consilio , ne
 permitterentur falsae Religionis cultores in terra Cha- *Falsa Reli-*
 naan , quam eis daturus erat : quum impia plane sit , ac *gio explosa.*
 societati ciuili nedum religiosae perniciosa , cuiusque
 Religionis falsae tolerantia.

188. Caerimoniales etiam leges diuinum cultum *Lex caer-*
 spectantes Mosi denuntiauit ; e quibus nonnullae , queis *monialis.*
 Christi Ecclesia utitur , desumptae sunt : vt confundantur
 haeretici , qui easdem ab Apostolis , et ab Ecclesia vsur-
 patas adspernantur.

189. Dedit itaque Deus Israëlitis legem *Decalogi,* *Decalogus.*
 id est , decem praecepta ; quae tamen , incertum est,
 propriane Dei persona , an Angeli ministerio conscri-
 pta sint.

190. Interim Israëlitae , tot benefactorum immemo- *Vitulus au-*
 res , vitulum aureum ab Aarone confectum adorant ; quo *reus.*
 facto et ipse Aaron , et populus peccarunt.

191. Horum excusandorum ratio , siue a Grotio , si-
 ue a professoribus Leidensibus inuecta , eosdem ab ido-
 lolatriae labe prorsus non purgat.

192. Post obiatas vero daemioni hostias , *sedit popu-* *Bacchanalia*
lus manducare , et bibere , et surrexerunt ludere. Quo e- *damnata.*
 uentu Bacchanalium antiquitatem agnoscimus ; flagitium
 vel ipsis Ethnicis ac Iudaeis detestabile , dignumque
 praeterea , quod a Mose , tabularum fractione , homi-
 numque ad tria millia interitu improbaretur.

193. Roganti autem Mosi pro huiusce noxae ve-

D

nia

nia respondit Deus : *qui peccauerit mihi , delebo eum de libro meo.*

*Praedestina-
tio immuta-
bilis.* 194. Non inde tamen praedestinationem electorum mutabilem credimus , siue quod attinet ad Dei statum, siue quod ad electos ipsos refertur ; sed tantum spes eis adimitur , quamdiu in impietate perseuerare voluerint.

*Adparitiones
Dei.* 195. Misit quoque Dominus Mosi ac populo Angelum praecursorem ; quo intelligimus , diuinarum adparitionum aliquas in propria Dei persona factas , alias vero in aliena.

*Decalogi ta-
bulae.* 196. Rursus : dedit Dominus Mosi duas alias tabulas lapideas , quarum in vna tria dumtaxat Decalogi praecepta ; in alia vero reliqua septem , ipsius Mosis ministerio exarauit.

*Mosis cornu-
ta facies.* 197. Moses autem de monte descendens , splendens radiis faciem habebat : nec aliter ipsi cornutam faciem tribuunt pontificii scriptores , vt haeretici calumniantur.

198. Primo praecepto sola idolorum simulacra , et imagines ad adorandum ; non omnes promiscue , prohibitae Iudaeis sunt.

199. Quae vero decem hisce praeceptis traditur agendorum mensura , aequissima prorsus est ac rectissima.

*Tabernaculum,
Arca foede-
ris.* 200. Interea , Israëlitis pretiosa quaeque offerentibus, perfectum est Tabernaculum , in cuius intima ac sacratiore parte , *Sancta Sanctorum* dicta , Arca foederis col-

lo-

locata est; intra quam *Decalogi* tabulas, extra vero auream *Mannae* urnam, et *Aaronis* virgam *Moses* reposuit.

201. Porro, *Moses* cunctis *Ethnicis* scriptoribus antiquior, *Deo* adflante, *Pentateuchum* scripsit, cuius historicae narrationes ceteris *Gentilium* historiis, vel inspectis tantum critices regulis, longe praeferendae sunt. *Mosis antiquitas, ac veracitas.*

202. Leges pariter in eodem exaratae, tum morales, tum caerimoniales, tum iudiciales, optimae sunt, a *Deoque* latae, quibus nec ipse *Moses*, nec seniores in socios adsumti, quidquam pro lubito addiderunt. *Leges a Mose latae optimae.*

203. Nec iis insuper aut usura, aut vltio, aut aliquid naturae legi aduersum probatur.

204. Sublato autem e viuis *Mose*, anno ab egressu populi ex *Aegypto* quadragessimo ineunte, *Iosue* filius *Nun* principatum per decem annos obtinuit, cui per annos septem seniores successere. *Iosue principatus, aliorumque.*

205. His sublatis, *Othoniel* per annos quadraginta *Populum* iudicauit. Post hunc, *Aod*, annis octoginta; deinde *Samgar*, vno; *Debbora*, et *Barac*, quadraginta; et totidem *Gedeon*.

206. Post *Gedeonem*, ius supremum habuit *Amalec*, annis tribus; *Thola*, viginti tribus; *Iair*, viginti duobus; *Iephte*, sex; *Abesan*, septem; *Ahilon*, decem; *Abdon*, octo; *Samson*, viginti.

207. Huic successit *Heli* per annos quadraginta, ac

per totidem Samuël vna cum Saïle; sicut per totidem etiam Dauid.

Salomonis
templum.

208. Tandem Salomon post exactum regiminis triennium, templum omnium magnificentissimum a fundamentis construendum incoepit: quo fit, vt ab exitu Isrâëliitarum ex Aegypto ad iacta templi fundamenta, anni fluxerint quadringenti octoginta.

QVINTA MVNDI AETAS.

Salomon scri-
ptor sacer.

209. **P**ost prima templi moenia locata, regnavit Salomon, mortalium omnium, qui eum praecesserant, sapientissimus; quique mulierum amore captus grauer deliquit; exemplum tamen poenitentiae posteris relinquens in libro *Ecclesiastae*, cuius auctor est, sicut et librorum, quibus titulus: *Cantica Canticorum*; *Sapientia*; *Ecclesiasticus*.

210. Verosimilius quoque est, Salomonem libri *Proverbiorum* parabolas omnes protulisse, chartisque commendasse; quod de duobus etiam postremis capitibus intelligendum est.

Roboamus.

211. Salomoni succesit filius Roboamus, a quo decem Tribus, Ieroboamum regem sibi eligentes, defecerunt; ipso dumtaxat in Iuda super duas Tribus septemdecim annos regnante.

212. Roboamo succesit Abias, qui duos completos annos, aut tres incompletos regnavit. Post hunc impe-

ra-

ravit Asa annos vnum et quadraginta , ac Iosaphat viginti quinque.

213. Eo tempore , impietatibus Israëliitarum , sceleribusque grassantibus sese constanter opposuit SS. P. N. Helias , qui sicut hactenus immunitatem a morte , ita beatitatem animae praeter consuetum naturae cursum est adsecutus.

Helias Propheta immunitatis a morte ac beatus.

214. Simili quoque exceptione Moses , mortali indutus carne , ore ad os cum Deo loquebatur , eaque dignatus fuit diuinae praesentiae cognitione , quae beatis in fine promittitur. Hoc etiam priuilegio donatum Paulum , aliosque post ipsum insigniores iustos inficiari non audemus.

Eodem beatus priuilegio. Moses, Paullus, alii donati.

215. Post Iosaphatum autem regnavit Ioramus in Iuda quattuor annos ; Ochozias , vnum ; Athalia Ochoziae mater , sex ; Ioaz , quadraginta ; Amasias , viginti nouem ; Azarias , quinquaginta duos ; Ioathan , sexdecim ; Achaz , quindecim ; viginti nouem vero Ezechias.

216. Hisce temporibus florere Prophetae , cum maiores , tum minores. Ac Oseas quidem uxorem fornicationum sumere , filiosque fornicationum ex ea sibi facere iussus , nihil impium , nihil indecorum patrauit ; quum totum id arcanum fuerit ac plane religiosum.

Oseas uxorem ducit fornicationum.

217. Ex quo vero Isaias dixerit , Israëlem non cognouisse Deum , neque fuisse in eo sanitatem a planta pedis vsque ad verticem capitis , minime inferri potest , fidelium Ecclesiam eo tempore prorsus defecisse.

Ecclesia Isaiæ tempore non defecit.

Post

218. Post Ezechiam ergo (vt ad reges reuertamur) Manasses regnauit annos quinquaginta quinque; Amon, duos; Iosias, triginta et vnum; Ioachaz vero, tres menses.

*Nec tempore
Hieremiae.*

219. Horum regum aetate fleuit Hieremias infidelitatem Hierusalem, vniuersaeque domus Israël, ab optimatibus vsque ad pauperrimos; quin propterea Ecclesiae fidem tunc omnino extinctam credamus.

220. Deposito Ioachazio a rege Aegypti, sufficitur in eius locum ipsius met frater Ioakimus, regnauitque annos decem, et vndecimum inchoauit.

*LXX. Ba-
bylonicae ca-
ptiu. anni.*

221. In huius autem regni anno tertio initium habuit Babylonica septuaginta annorum captiuitas a Hieremia toties inculcata.

222. Sed Ioakimo in Babyloniam quoque adsportato a Nabuchodonosore datus est successor illius filius Iechonias, qui tres dumtaxat menses regnauit.

223. Post hunc vero Sedecias vndecim annos principatum tenuit.

*LXX. anni
desolationis.*

224. Illius autem vndecimo iam expleto, Nabuzardan, Babylonicae militiae magister, veniens in Hierusalem, succendensque domum Domini, septuaginta desolationis annis a Hieremia praedictis initium, et huic aetati finem infaustissimum imposuit; quae constat quadringentis viginti quattuor annis.

SEXTA MVNDI AETAS.

225. **M**issa, quod ad sacram Chronologiam at- *Cyrus Babyl.*
tinet, factorum huius aetatis incertitudine; laxatam fuis- *captiu.laxat.*
se a Cyro, Persarum rege, anno quinquagesimo primo
post desolationem Templi, Babylonicam Iudaeorum ca-
ptiuitatem, facta eisdem in Iudaeam redeundi facultate,
non est cur in praesentia dubitemus.

226. Transactis deinde annis vndeuginti, aliis septua-
ginta desolationis ab Hieremia praedictis, secundo nem-
pe Darii Hystaspis, misericors Deus extremam metam
imposuit.

227. Post annos vero nonaginta tres, anno videli- *LXX. Da-*
cet Artaxerxis Longimani vigesimo tertio, initium *nielis hebd.*
sumserunt septuagintae Daniëlis hebdomadae. *init.*

228. His excurrentibus, historia Machabaeorum ac- *Machab.hist.*
cidit, de qua pauca subnectimus.

229. Itaque Alexander Magnus, profligato Dario *Alex. Magn.*
Codomano, euersoque Persico imperio, Monarchiam
instituit, quam annis quinque tenuit, ac morti proximus
inter principes suos diuisit.

230. Exaëto autem a morte Alexandri anno vndeci- *Seleucus Ni-*
mo, regnavit in Syria Seleucus Nicanor, a quo regnum *canor.*
Seleucidarum initium desumit.

231. Hinc Antiochus illustris, siue Epiphanes, qui *Antiochus*
regnare incoepit anno Seleucidarum centesimo trigessi- *Epiphanes.*
mo septimo, recte quoque dicitur obtinuisse regnum

an-

anno Graecorum centesimo quinquagesimo tertio.

*Mathathiae
zelus.*

232. Interea Mathathias , anno Seleucidarum quadragessimo quinto supra centesimum , conuocatis qui zelo diuinae legis flagrabant , aduersus Antiochum , Iudaeos ad idololatriam compellentem , primus vexillum erexit.

Iudas Machabaeus.

233. Mortuo Mathathia , Iudas Machabaeus , eius filius , Iudaeorum militiae praeficitur ad annum vsque centesimum quinquagesimum tertium Seleucidarum ; Graecorum vero centesimum sexagesimum nonum , quo mortuus est.

234. Per id temporis Antiochus Epiphanes , quo nihil sceleratius , inuisibili plaga diuinitus percusus , doloribusque grauissimis correptus interiit , dignam luens aduersus impios Dei cultores poenam.

Raziae mors.

235. Ea quoque tempestate Iudaeus fortissimus Razias , se se de muro in medios hostes praecipitans , atque intestina in eosdem vtraque manu proiciens , interiit.

236. Nec propterea martyrem illum vocamus. Immo nec factum probaremus , quum nemini fas sit se met ipsum occidere ; nisi spiritum latenter id iussisse suaderent vitae ipsius ratio , recta intentio , preces ad Deum fusae , et eximia laus , qua scriptura factum illud prosequitur.

237. Post Iudae mortem , eius fratres ac posteri , omnes e Tribu Leui , ad Herodem vsque regnauerunt.

Nec

238. Nec proinde tamen sceptrum de Tribu Iuda *Sub Machabaeis sceptrum non fuit ablatum.*
 ablatum concedimus, nisi tempore Herodis; quo regnan-
 te, et plane defecit, et desideratissimus rex venit IESVS CHRISTVS Dominus noster.

239. In texenda vero ac concilianda Christi genea- *Christi genealogia.*
 logia, sententia Iulii Africani dicentis, Ioseph natura
 fuisse filium Iacob, lege vero filium Heli, ceteris prae-
 ferenda est.

240. Infirma quoque censemus momenta, quibus *Parentes V. Mariae.*
 nonnulli ambigunt, num Virginis Mariae parentes Ioa-
 chim et Anna fuerint adpellati.

241. Sed et longe imbecilliora, quibus Iosepho alia *Iosephi Virginitas,*
 ante B. V. vxor tribuitur; quum virginitatem, quam
 vouerat, perpetuo illibatam seruauerit.

242. Hinc qui *fratres Domini* vocantur in Euange- *ac fratres Do-*
 lio, eiusdem consobrini erant. *mini.*

243. Iam vero, hebdomadae Daniëlis quadringen- *Summa annorum.*
 tis septuaginta quinque annis solaribus, 490. lunares ef-
 ficientibus, constabant; quibus si adiungamus supra me-
 moratos, summam habebimus sexcentorum triginta et
 octo annorum, a desolatione Templi ad annum Christi
 emortualem, quum ad finem hebdomadarum ventum est.

244. Porro, si a praedicta summa demas annos tri-
 ginta quattuor, qui ab Incarnatione Domini ad eiusdem
 mortem fluxere, liquet, sextam mundi aetatem, ab ex-
 ciso Salomonis Templo ad diuini Verbi Incarnationem,
 ex annis sexcentis et quattuor coalescere.

E

AETA-

AETATIS MVNDI SEPTIMAE

SAECVLV M PRIMVM.

*Christi con-
ceptio,*

245. Anno ab orbe condito quater millesimo quinquagesimo iam exacto, rerum potente Octauiano Augusto, Seruator noster Iesus Christus in vtero intermeratae Mariae Virginis, e qua carnem traxit, absque virili semine, solaque Spiritus Sancti operante virtute, conceptus est VIII. Cal. Aprilis, sexto hebdomadis die.

ac natiuitas.

246. Eodem anno, nocte praecedente diem vigessimam quintam Decembris, quae prima hebdomadis eo anno erat, regnante in Iudaea Herode, genere Iudaeo, adeoque alienigena, idem Saluator in lucem editus est.

*Bos et asinus
in praeseptio.*

247. Eum vero natum B. mater in praeseptio reclinauit; vbi adligatos fuisse bouem et asinum, aduersus aliquot submotosos criticos, propugnamus.

Magi Reges.

248. Die autem post Christum natum decimo tertio, Magi, veri reges, atque ex Arabia stella duce profecti, non ciuili dumtaxat, sed patriae quoque cultu, in Bethleemico antro, ipsum adorarunt.

Caedes infantum.

249. Diebus vero purgationis Mariae impletis, pueroque iam in Templo oblato, Bethleemicos infantes a bimatibus et infra Herodes trucidauit; quorum veneramur martyrium; illudque *per se*, et *ex opere* (vt aiunt) operato efficax esse ad abluenda peccata sustinemus.

Quod

250. Quod ad Christi formam adinet , neque de- *Christi for-*
formitatem ei tribuimus , neque muliebrem et adfecta- *ma.*
tam pulchritudinem ; sed aptam dumtaxat partium dis-
positionem , conuenienti structura , temperatoque colo-
re constitutam.

251. Ceterum quod spectat illius dotes , non tantum
increata , sed perfectissima etiam scientia creata , infusa, *Christi scien-*
et acquisita , nec non experimentalis praeditus fuit ; sola- *tia , et san-*
que comprehensiuu caruit , vt homo. *ctitas.*

252. Exornatus quoque fuit sanctitate , cum substan-
tiali et increata , tum creata et aduentitia ; adeo vt nul-
lam habere potuerit peccati maculam , licet perfectissima
arbitrii potestate polleret.

253. Tot dotibus ornatus Christus , priuatam apud *Ioh. bap-
parentes vitam duxit vsque ad annum trigessimum , qui smus.*
erat Tiberii Caesaris decimus quintus ; et quo exiit Io-
hannes in omnem regionem Iordanis praedicans bap-
tismum poenitentiae , Mosaicis quidem mersionibus longe
excellentiorem , sed ab eo tamen quem postea Christus
instituit , multiplici titulo discriminandum.

254. Quum autem baptizaretur omnis populus , ve- *Baptisma
Christi.*
nit Iesus ad Iohannem , ab eoque postridie nonas Ia-
nuarii baptizatus est baptismate ab ipso met Christo
tunc temporis instituto.

255. Sed et ipse met Christus aliquos , praesertim
Virginem matrem , tametsi nulla peccati labe contami-
natam , baptizauit.

- Eius obligatio,* 256. Verum baptismus, quamvis ante Christi mortem institutus, non tamen obligare potuit, aut potest, nisi ex quo illius praeceptum sufficienter promulgatum, homines inexcusabiles aut reddidit, aut reddat.
- materia,* 257. Sola aqua naturalis idonea materia est sacramenti baptismatis.
- et forma.* 258. Necessario quoque admittenda est in hoc sacramento forma, quae verbo ablutionem exprimente, siue *baptizo* illud sit, siue aliud aequiualens, constare debet.
- SS. Trinitatis expressio.* 259. Probabilius est, requiri etiam verbum personam baptizandam manifestans. At necessaria prorsus est Trinitatis expressio per haec verba: *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; quae tamen substantialiter non mutantur, licet *in nomine* ad quamlibet personam repetatur.
- Minister baptismi.* 260. Christus autem hoc sacramentum ita instituit, ut Episcopi ius habeant solemniter baptizandi; Presbyteri, licet vi ordinationis potestatem habeant, carent tamen iurisdictione; sunt nihilominus baptismi sollemnis ministri ordinarii; Diaconi vero non nisi extraordinarii, et ex delegatione; ceteri omnes, solum urgente necessitate.
261. Sacramentum baptismi, a quocumque rite colatum, proficit ad salutem.
- Eius necessitas.* 262. Baptismus omnibus, siue paruulis, siue adultis, necessarius est, et quidem necessitate mediæ, ad salu-

lutem ; ita tamen vt qui dicitur *fluminis* , per baptismum vel *flaminis* , vel *sanguinis* suppleri possit.

263. A principio baptismus trina mersione vt plurimum conferebatur. Sed valet , siue fiat per immersionem , siue per infusionem , siue demum per adspersionem. *Ritus.*

264. Vt autem ad historiam reuertamur , anno imperii Tiberii decimo sexto excurrente , die pariter sexta Ianuarii , post annum a Christi baptismo elapsam , nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae , in quibus Christus miraculum conuersionis aquae in vinum patrauit. *Nuptiae in Cana Galil.*

265. A Christi baptismo ad illius passionem tres anni cum totidem mensibus interfluxere : Christusque interea elegit Apostolos , ac Petrum eorum principem designauit , indito ipsi nomine Cephae ob Ecclesiae primatum. *Apostol. electio , Petri-que primatus.*

266. Per id quoque temporis Abgarus , Edessenorum toparcha , epistolam ad Iesum scripsisse fertur ; eique Dominum rescripsisse aiunt : quas quidem , licet exploratissimae non sint auctoritatis , tamen genuinas magna probabilitate defendimus. *Abgari et Christ. epist.*

267. Excurrente etiam huiusmodi triennio , Euangelium Dominus annuntiauit , confirmauitque miraculis , inter quae non infimum occupat locum Lazari suscitatio. *Lazari suscitatio.*

268. Elapso hoc tempore , ac pridie quam pateretur , Christus Dominus augustissimum Eucharistiae sacramentum instituit ; quod in elementorum panis ac vini *Eucharistiae institutio.*

ni specie visibili, atque in inuisibilibus carne Christi et sanguine situm est.

269. Porro Iudaei, Christi tempore nec duplici neomenia, nec duplici calculo astronomico vsi sunt.

Pascha legale.

270. Hinc Christus, pridie quam obiret mortem, Pascha legale cum discipulis manducauit, seruatis azymo, ceterisque legis caerimoniis, a quibus Iudaei eo anno ne latum quidem vnguem recesserunt.

271. Christus ergo Eucharistiam consecrauit in azymo, cuius vsus in Ecclesia ab initio ad haec vsque tempora perpetuo vigit.

Eucharistiae mat. et forma.

272. Valida autem est Eucharistiae materia, quaeuis panis quantitas, dummodo sensibilis, et coram Sacerdote sit; ac insuper vinum de vite.

273. Forma vero, qua Christus vsus est, ac modo vtimur, non precibus, sed verbis dominicis, quae non significatiua, sed adsertiua quoque sunt, enuntiari debet.

Minister.

274. Sed Eucharistiam conficere, aut consecrare, nec laici, nec Diaconi possunt, sed soli Sacerdotes.

275. Christus Eucharistiam instituens, verum sacrificium obtulit; praecepitque Apostolis, vt illud deinceps in sui commemorationem offerrent.

Sacrificium.

276. Hinc oblatio Eucharistica verum sacrificium est, propitiatorium quidem; quod non pro viuentibus tantum, sed pro iis etiam, qui cum pietate defuncti beatam exspectant vitam, offerri potest.

Ad

277. Ad communionem sacramentalem diuino praecepto tenentur adulti; Ecclesiastico vero, semel in anno, recurrente solemnitate Paschali: neque tamen necessaria est, neque ad salutem expedit sacrificium non celebrantibus, vtriusque speciei participatio.

*Communionis
necessitas.*

278. Dum autem Christus nocte coenae Apostolos in Ecclesiae ministros ordinavit, verum ac proprium nouae legis sacramentum *Ordinis* instituit.

*Sacramen-
tum Ordinis.*

279. In Ecclesiastica Hierarchia princeps ordo Episcopatus est, a simplici Presbyteratu honore atque auctoritate distinctus.

Episcopatus.

280. Nec Diaconatus solum et Hypodiaconatus sunt veri nominis sacramentum; sed quattuor etiam Ordines minores, exclusa Tonsura.

Alii Ordines.

281. Singulorum materia essentialis manuum est impositio, cui additur instrumentorum porrectio; minister ordinarius, Episcopus; subiectum vero, vir baptizatus.

*Materia, et
minister.*

282. Ipsissima nocte coenae Christus Dominus pedes Discipulorum lauit: eam tamen lotionem in exemplum dumtaxat humilitatis posteris reliquit.

Pedum lotio.

283. Post coenam autem, in horto Gethsemani, factus in agonia, grumos sanguinis sudauit: id quod vera historia est, non adsuta Euangelio Lucae narratio.

*Sudor san-
guinis.*

284. Nec quadraginta dumtaxat ad correctionem verberibus; sed innumeris, iisque immanissimis, ad sedandum Iudaeorum odium flagellatus est; ac deinde con-

*Christi fla-
gella, ac spi-
nea corona.*

ro-

ronatus spineo diademate , non e marinis iuncis , sed e sentibus rhamni contexto.

Veronicae historia.

285. Ipsi porro Golgotham proficiscenti , crucemque baiulanti , Hierosolymitana quaedam mulier vultum sanguine ac sudore manantem velo abstersit , in quo Redemptoris nostri imago expressa fuit.

Christi mors.

286. Christus autem crucis patibulum subiit , anno aetatis trigessimio quarto per tres menses inchoato , aerae Christianae trigessimio quinto , VIII. Kal. Aprilis , ac veneris die.

Eclipsis.

287. Eclipsis , quae illo moriente contigit , non soli Iudaeae ; sed vniuerso , qua late patet , orbi solare lumen ademit.

Christi resurrectione.

288. Tertio a morte die , rediuius surrexit ; dieque a resurrectione quadragessimio adscendit in Coelum.

Confirmationis sacramentum.

289. In illis vero XL. diebus magna confirmata sunt sacramenta , magna sunt reuelata mysteria : atque inter cetera , ipsa confirmatio , quae verum est ac proprium nouae legis sacramentum a Christo Domino immediate institutum.

Materia.

290. Illius materia essentialis est manus impositio vna cum chrismatis vnctione.

Chrisma.

291. Ad chrismatis confectionem non sufficit oleum ex amygdalis , nucibus , cet. sed necessarium est oleum oliuarum , quocum (siue necessitate sacramenti , siue praecepti , quod satis non liquet) permiscendum est balsamum.

For-

292. Forma huius sacramenti sunt illa verba : *signo te*, cet. *Forma.*

293. Ministri ordinarii , soli Episcopi ; subiectum vero , qui baptisate iam est initiatus. *Minister.*
Subiectum.

294. Praecipuus illius effectus est gratia sanctificans, quae firmitatem confert ac robur aduersus fidei hostes vniuersos. *Effectus.*

295. Instituta pariter est poenitentia , quae similiter est verum ac proprium nouae legis sacramentum a baptisate distinctum , et quo peccata post illud commissa iudiciaria Sacerdotum potestate remittuntur. *Poenitentia.*

296. Eius materia proxima sunt actus poenitentis, videlicet , contritio , confessio , et satisfactio , quae proprius aptiusque poenitentiae partes vocarentur. *Materia.*

297. Ad delenda per poenitentiam peccata non sufficit contritio solo poenae timore concepta , omnem omnino , etiam initialem , Dei amorem excludens.

298. Porro a veritate Euangelii penitus aliena est doctrina omnis , quae ad quosuis homines , praeter Episcopos , et Sacerdotes , clauium ministerium perniciose extendit. *Minister.*

299. Eo quoque tempore instituta est *unctio* infirmorum , quae dicitur *extrema* ; estque sacramentum nouae legis , quo per oleum benedictum , et orationem , baptizatis aegrotantibus confertur gratia animam sanctificans, peccatorum abstergens reliquias , et ad extremum ag-

F

nem

nem confortans ; et si animae expediat , corpori sanitatem restituens.

300. Hinc eiusdem materia oleum est ab Episcopo benedictum ; illius ministri , soli Sacerdotes ; subiectum vero , solus infirmus , isque adultus.

*Matrimo-
nium.*

301. Matrimonium etiam ad sacramenti dignitatem euectum est , illud videlicet , quod cum sacra materia, cum sacra forma , a sacro ministro confertur : nam matrimonium sine Ecclesiae ministro contractum , matrimonium quidem esse poterit , sacramentum vero esse non poterit.

302. Hinc , vir et femina contrahentes non sunt huius sacramenti ministri ; neque forma aliquid ab ipsis adhibitum , qui gratiae administratores non sunt : sacramentum enim matrimonii gratiae quoque producit effectum.

*Septenarius
sacram. num.* 303. Ergo septem sunt nouae legis sacramenta a Christo Domino immediate instituta.

304. Nec aliquo modo pugnat creatura habens facultatem sibi a Deo collatam instituendi sacramenta.

*Materia , et
forma sacram.* 305. Rebus haec tamquam materia , verbisque tamquam forma perficiuntur ; sed quae nominibus *materiae* et *formae* haud incongrue donantur , nullam habent cum principiis rerum naturalium aequabilem analogiam.

306. Quum Christus materias et formas sacramentorum per se determinauerit , Ecclesia illas omnino immutare non potest.

Qui

307. Qui absque extrema necessitate, in conficiendis sacramentis, materia et forma tantum probabili vteretur, non modo charitatem laederet; sed iniuriam etiam sacris mysteriis irrogaret, ac Religionem parui penderet.

308. Substantialis materiae et formae mutatio irritat sacramentum, non autem accidentalis; nisi haec fieret intentione aliquam haeresim inducendi, quo casu aliter philosophari oporteret.

309. Licet Angeli esse queant extraordinarii sacramentorum ministri; ordinarii tamen soli sunt homines *Sacramentorum minister.* viatores.

310. Ad sacramenti validitatem optima est ex parte ministri intentio actualis, virtualis sufficit, habitualis et interpretatiua sunt et dicuntur ineptae; licet hae quandoque sufficient ad validam illius susceptionem.

311. His vero etiam deficientibus, inaniter ab adulto sacramenta omnia recipiuntur, vnam si demas Eucharistiam.

312. Ceterum, vt ad superiora, vnde digressi sumus, redeat oratio; postquam Christus Dominus Simonem Petrum reliquis Apostolis praetulerat, eique Cephae nomen indiderat; post resurrectionem ipsi met Ecclesiae vniuersalis regimen, Apostolicique ordinis principatum commissit. *Eccl. primatus Petro collatus.*

313. Hic primatus non erat in Petro ratione senii, ac vocationis ad Apostolatam, vt fabulantur nonnulli;

sed excessu potestatis ac iurisdictionis, quibus longe excellibat.

Quot annos Petrus Eccles. rexit? 314. Petrus autem triginta septem annos Ecclesiam rexit, primo quidem Hierosolymis; deinde Antiochiae, quamvis repugnet Panuinius; postremo vero Romae, quam adiit secundo Claudii Neronis anno, aerae Chr. XLVII. ubi tandem post constitutam ibidem sedem ab annis XXV. mortem oppetiit.

Primatus Rom. Pont. 315. Ex quo vero Petrus Romae sedens martyrio ibidem coronatus fuerit, optime sequitur, Romanae sedis Episcopus eidem in auctoritate et iurisdictione succedere.

Papae, ac Concilii comparatio. 316. Quatenam autem haec sit relate ad Ecclesiam vniuersam, et Concilium Oecumenicum; sicut et an Pontifex errare possit in resoluendis fidei et morum controversiis, dicam rogatus.

Petri successores. 317. Porro Petro successit Linus; Lino, Cletus; huic, Clemens, a Petro sui successor designatus, Romanus genere, ac stirpe procreatus nobilissima, cuius martyrium frustra nititur Basnagius in dubium reuocare.

318. Clementi quoque successisse credimus Anacle- tum, a Cleto reipsa secernendum.

Decretales usque ad Siricium. 319. Horum omnium, aliorumque ad Siricium vsque RR. Pontificum epistolas decretales, ab Isidoro collectas, interpolatas, ac magna ex parte suppositas dicimus; quamquam Apostolicae doctrinae, fideique aduersas nullo pacto arbitremur.

Con-

320. Constitutiones , dictae Apostolicae ; sicut et *Constitut. et*
Canones Apostolis tributi , neque Apostolos , neque Cle- *Can. Apost.*
mentem auctores habent ; sed alium illis longe poste-
riorem.

321. At Apostoli primum habuere totius Ecclesiae
Concilium , in quo Petrus ceteris proposuit , vt in Iudae
proditoris locum sufficerent alium , qui duodenarium nu-
merum impleret , essetque Christi miraculorum et do-
ctrinae , resurrectionis quoque , et ad Patrem adscensio-
nis testis idoneus.

322. Propositis ergo duobus , Matthias prae Iose- *Matthiae in*
pho , qui vocabatur *Barsabas* , et cognominabatur *iustus* , *Apostolum e-*
sortibus proprie dictis in Apostolum electus est : nec *lectio per sor-*
propterea in hodiernis electionibus sortium vsum licitum *tes.*
pronuntiamus.

323. His ita gestis , die a Christi adscensu in Coe- *Spir. S. de-*
lum decimo , Spiritus sanctus , sub ignearum linguarum *scensus , eius-*
forma , in singulos discipulos congregatos illapsus est : *que a P. et*
quo veram Spiritus sancti a Patre et Filio missionem *F. missio.*
agnoscimus.

324. Illi autem , Spiritu sancto repleti , ita Christi *Relig. Christ.*
Religionem praedicare coeperunt , vt vel solus Petrus *progressus mi-*
prima die tria hominum millia , altera vero quinque mil- *rab.*
lia ad Christi fidem conuertisse , et in nomine Iesu Chri-
sti baptizasse memoretur.

325. Nec propterea sub Christi expresso nomine *Bapt. Chr.*
Apostolos baptizasse credimus ; quamquam ita sen- *nomine non*
tien- *coll.*

tientes nulla quoque censura inuramus.

Secundum A- 326. Crescente autem fidelium multitudine, factum
post. Concil. est murmur Graecorum aduersus Hebraeos; cui sedando Apostoli secundum Concilium conuocarunt ad septem Diaconos eligendos, qui non profanae modo, sed sacrae quoque mensae, nostrorum Diaconorum in instar, ministrarent.

Tertium Conc. 327. Horum alter, Philippus nomine, plures Iudaeos Samariae baptizauit, confirmandosque ad Apostolos misit: atque hinc tertium Apostolorum Concilium pro decernenda Petri et Iohannis ad Samaritas missione, gratia Confirmationis conferendae.

Confirmatio- 328. Ergo haec, licet *necessitate medii* non sit ad sa-
nis necessitas. lutem necessaria; est tamen *necessitate* (vt aiunt) *prae-*
cepti: vt propterea peccent, qui illam contemnunt; quales reapse sunt, eiusdem ab Episcopo praesente, ac dare parato, susceptionem negligentes.

Subiectum. 329. Debent itaque Episcopi sedulam nauare operam, ne (si fieri potest) baptizati sine hoc sacramento decedant; cuius capaces sunt omnes, etiam infantilis aetatis, quamuis consulto in confirmandis rationis vsus expectetur.

330. Ex Petri vero ac Iohannis in Samariam decreta missione frustra colligeres, Petrum reliquis Apostolis, eorumque congressui subiectum fuisse.

Quartum Con- 331. Quartum quoque in Ecclesia Concilium ab A-
cil. postolis, pro edendo fidei per orbem praedicandae sym-

bo-

bolo , ac designandis cuique praedicantium regionibus, celebratum est.

332. Quintum autem , omnium celeberrimum , pro *Quintum Con-* finienda quaestione Antiochiae exorta de circumcissione, *cil.* aliisque legalibus vel seruandis , vel abolendis , est habitum.

333. Porro , quae in ipso statuta sunt , ob iustas hodie causas non obseruantur ; non vero quod legalia vel noxia , vel inutilia fuerint.

334. Hinc , quantumuis in Christi morte obligare *Legalium o-* illa desierint ; non tamen mortifera statim fuere : atque *blig.* adeo Apostoli non simulate , sed sincere ea seruarunt.

335. Cephas vero , cui Paullus occasione huius con- *Cephas , cui* trouersiae restitit , ipse Petrus fuit Apostolorum prin- *Paull. restit.* ceps ; qui propterea Paulo inferior dici nequaquam potest.

336. Sexta Apostolorum Synodus Mileti habita est, *Sexta Syno-* pro hortandis ad Ecclesiam summa vigilantia regendam *dus.* senioribus , aut maioribus ; quo nomine non solum Presbyteros , sed vt plurimum Episcopos quoque intelligimus.

337. Septima item Synodus celebrata est pro tollen- *Septima item.* da Gentilismi suspicione de Paulo a Iudaeis concepta; quam vt Paullus a se remoueret , se se *sanctificauit* , id est , Nazareatus votum exoluit.

338. Feruntur et aliud Concilium Antiochiae cele- *Conc. Apost.* brasse Apostoli ; cuius auctoritatem , quamuis negent *Antioch.* plu-

plures , fundamento tamen satis solido innixam arbitramur.

339. Sed et prouidentissimus Deus , qui olim Prophetas , ac deinde Apostolos , dedit etiam Euangelistas , Pastores , et Doctores , qui vel Scripturas ederent sacras , vel acceptas traditiones ad posteros transmitterent.

Script. sacra. 340. Est autem Scriptura sacra : *verbum Dei ab ipsomet Deo , vel saltem ipso dictante exaratum.*

341. Nec sententias solum ; sed singula quaeque verba , et apices Spiritus sanctus dictauit. Vnde certissimos verissimosque esse oportet libros sacros ; quum Deus nullo prorsus pacto aut mentiri possit , aut fallere.

Script. iudex. 342. At iudicium de Scriptura diuina nec ab ipsa , nec a priuato spiritu sumendum est ; sed ab Ecclesia , ab Oecumenico Concilio , a Romano Pontifice , quorum omnium definitio pro certa habetur regula ad libros vel in sacrorum numerum recipiendos , vel ex eo expungendos.

Liber Act. Apost. 343. Iam vero , praeter XLV. libros veteris Testamenti , quos Christi Ecclesia suum in Canonem admisit ; ac post quattuor Euangelia , quae praefixum habent Auctorem cuiusque nomen ; locum in Canone obtinet liber Actuum Apostolorum , cuius S. Lucas est auctor.

Pauli epistolae , cet. 344. Sequuntur XIV. Epistolae Pauli , ne excepta quidem , quae ad Hebraeos est , Syriaca lingua exarata : deinde Catholicae , quarum prima illius Iacobi foetus est , qui Minor adpellatur.

Quae

345. Quae duae Petri nomen prae se ferunt, ab Apostolorum principe Petro; quae Iohannis et Iudae ab his duobus Apostolis; Apocalypsis vero ab eodem Iohanne, et Apostolo, et Euangelista, conscriptae sunt.

346. Quum Ecclesia, et Religio sine Scriptura olim fuerint; pluraque habeantur ut fide certa, quae in hac minime continentur; necessario admittendae sunt Christi, et Apostolorum traditiones; quibus aequae ac Scripturis edoceatur Ecclesia.

347. Ecclesiae autem fides nec potuit olim, nec poterit unquam deficere; idque licet de omnibus seorsim Pastoribus solum intelligatur.

348. Praeter scriptores canonicos, alii quoque hoc saeculo florere, quos inter Flavius Iosephus, cuius de Christo testimonium lib. 16. antiq. cap. 8. veluti genuinum ac sincerum defendimus.

349. Hermae Pastor opus quidem utile creditur, non tamen canonicum.

350. At quae Dionysii Areopagitae nomine vulgata sunt opera, merito sintne illi adscribenda dubitamus; sicuti et quae Marcello, Marci Romae praefecti filio; et quae Abdiae, genere Iudaeo, ac Babyloniorum Episcopo, tribuuntur.

351. Linus Rom. Eccl. Pontifex, Petri et Paulli martyrium scripsit. Qui tamen eius nomine circumferuntur libri, apochryphi sunt; non secus ac Iohannis Apostoli vita, quae Prochori nomen prae se fert.

G

Sunt

- S. Andreae acta.* 352. Sunt qui Acta martyrii S. Andreae a Presbyteris Achaiae scripta dicant; sunt etiam qui negent: sed nullius partis argumenta sunt prorsus inuicta.
- Acta Paulli et Teclae.* 353. Eodem modo de Actorum Paulli et Teclae auctoritate philosophandum est.
- S. Martialis.* 354. Epistolas duas S. Martiali inscriptas, aliam ad Burdigalenses, ad Tolosanios aliam, aequae spurias, ac Philonis Alexandrini librum *de temporibus*, censemus.
- Acta Pilati.* 355. Acta Pilati ad Tiberium super Christi gestis, non quae ille scripsisse dicitur, sed quae supersunt modo, corrupta et adulterata sunt.
- B. V. M. epist. ad Mesan.* 356. Quae autem nomine B. Mariae Virg. ad Mesanenses circumfertur epistola, supposititia citra dubitationem censetur.
- Simon Magus.* 357. Verum Christi Ecclesia, non modo Doctoribus hoc saeculo illustrata; verum et haeresibus quoque foedata est: atque cum primis haeresi Simonis Magi, qui dona Dei pecunia possideri posse impie ac sacrilege adfirmavit.
- Cerinthus.* 358. Tum Cerinthus, Simonis discipulus, regnum mille annorum post futuram carnis resurrectionem excogitavit; quod utique tam commentitium est, quam beatitudo ab eo in carnis deliciis constituta.
- Ebion.* 359. Cerinthus quoque Christum purum hominem praedicavit; aduersus quem, et qui ipsum secutus est, Ebionem scripsit Ephesi Iohannes Euangelium, cum quo

fili Dei praesistentiam ante temporalem sui conceptionem firmiter propugnamus.

360. De spurcissima Nicolaitarum secta tacere praestat, quam loqui. Et haec de primo VII. aetatis saeculo. *Nicolaitae.*

SAECLVM SECVNDVM.

361. **H**uius saeculi initium Anacleti Pontificatus occupat, cui successere Euaristus, Alexander, Sixtus, Thelesphorus, Hyginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleuterus, et Victor. *Papae.*

362. Hunc, in controuersia de legitimo celebrandi Paschatis die, ultra minas non procesisse verisimilius est, Graecaeque Eusebii narrationi conformius. Qui tamen adserunt, reapse in dissidentes Asianos anathema vibrasse, omni probabilitatis praesidio destituti prorsus non sunt. *Victoris minae in Asia nos.*

363. Decreto Romanae sub Papa Victore Synodi sancitum est, Pascha celebrandum fore die dominico, Martii plenilunium sequente. Id quod aliae quoque Synodi statuerunt. *Pasch. celebr. tempus.*

364. Inter huius saeculi scriptores eminent Ignatius martyr, cuius epistolae ad *Ephesios*, ad *Magnesianos*, ad *Trallianos*, ad *Romanos*, ad *Philadelphios*, ad *Smirnaeos*, et ad *Polycarpum*, genuinae sunt; reliquae vero aut dubiae auctoritatis, aut omnino suppositae. *Ignatius M.*

Iustinus M. 365. Claruit hoc etiam saeculo Iustinus martir, cuius indubitata scripta sunt, *Apologiae duae* pro Christianis, sc. ad Antoninum Pium, et ad Senatum Rom. *Dialogus cum Triphone* Iudaeo; et *Oratio* paraenetica ad *Gentes*, siue ad Graecos.

366. Quorundam vero *Aristotelicorum dogmatum eversio*; *Expositio fidei*; *Epistola ad Zenam et Serenum*; ac *duo responsionum libri*, vel dubiis ac interpolatis, vel certo suppositis accensentur.

Alii Patres. 367. Eo quoque saeculo florere Dionysius Corinthius, Papias, Quadratus, Melito, Hegesippus, alii. Sed bonas inter fruges eorum libris comprehensas inimicus homo zizania superseminauit.

Versio Aquilae. 368. Per id temporis Aquila Ponticus, ex Gentili Christianus, ac demum Iudaeus, in horum potissimum gratiam hebraicum S. Scripturae textum graece interpretatus est, quo veteres de Christo eiusque Ecclesia prophetias in alienum sensum detorqueret; quasi non possent illi reuinci innumeris praedictionibus, quae incorruptae ad hoc usque tempus perdurant.

Marcion. 369. Marcion quoque duos deos, bonum, ac malum statuit; eiusque asseclae (praeludentibus Cerinthianis) viuos pro mortuis baptizabant. Sed hoc inaniter; illud impie: quum vnus dumtaxat Deus sit, coeli terraeque creator, et vndequaque bonus.

Papias. 370. Circa annum huius saeculi XVI. vixit Papias Episcopus, qui absque sanctitatis praeiudicio millenarium

rium regnum quodammodo admisit , in erroremque suum *Millenarii.*
 alios adduxit ; a quo Iustinum excusare haud improbabili-
 liter possumus.

371. Porro Millenariorum error , non secus ac bea-
 titudinis animarum dilatio ad iudicii diem , ab Ecclesia
 merito proscriptus est.

372. Explosa est quoque Aeonum fabula a Valen- *Aeonum fa-*
 tino , hesiodeo more , conficta. *bula.*

373. Rebaptizantium vero sectam Agrippinus Car- *Rebaptizan-*
 thaginiensis Episcopus inuexit , eique adhaesit Tertullia- *tes.*
 nus , qui sacramento poenitentiae virtutem denegavit
 ad delenda in crimina lapsis peccata : qua in re et sibi
 met ipsi contrarius fuit , et ab Ecclesiae sensu prorsus
 discrepauit.

374. Melito Sardensis Episcopus , et egregius Chri- *Melito Sard.*
 stianae Religionis apologista , ab Antropomorphitarum *et Tertull. an*
 errore vix excusari ; Tertullianus vero neutiquam certis *Antropomor-*
 argumentis defendi potest. *phitae ?*

SAECVLVM TERTIVM.

375. **V**ictori e viuis per martyrium erepto suc- *Zephyrinus*
 cessit Zephyrinus R. P. a Montanistis vtique delusus ; vt *P. a Mont.*
 deinceps miretur nemo , si Ecclesiae Dei circa res meri *delusus.*
 facti , per dolos fraudesque aliquando imponatur.

376. Zephyrinum secutus est Callistus , dein Vrba- *Nouatiani*
 nus , Pontianus , Anterus , Fabianus , Cornelius , aduer- *schisma.*

sus

sus quem Nouatianus primum in Ecclesia Romana schisma fabricauit, sectamque Catharorum condidit, qui in Deciana persecutione lapsis, aliisque post baptismum grauiorum criminum reis, veniam quoque (vt olim Montanistae) denegauit.

S. Cypriani ac Firmiliani cum Steph. P. disceptatio. 377. Cornelio successit Lucius, Lucio Stephanus, sub quo rebaptizantium error maiores sumsit vires, suppetias ferente Cypriano, quem Firmilianus Caesareae Cappadocum Episcopus sectatus est.

378. Horum in Stephanum epistolis, vtique genuinis, Romanorum Pontificum auctoritas minime labefactatur.

379. Nec Stephani decreto omnium promiscue haereticorum baptismum probatum fuit; sed dumtaxat quod Euangelicis verbis, id est, trium diuinarum personarum expressione confertur.

380. Sed neque Stephanus Cyprianum, aut Firmilianum, ob errorem rebaptizantium, a sui communione se iunxit; quum plura etiam sint, quae Cyprianum praesertim, vel in eo errore, excusent.

Confirmatio nunquam iterata. 381. Manuum impositio, qua recipiebantur in Ecclesiam baptizati et confirmati in haeresi, non erat iteratio confirmationis.

Sabellius. 382. Prodiit hoc saeculo Sabellius, vnicam in Deo et personam, et essentiam statuens, cui Dionysius Alexandrinus epistola ad Pentapolitanos restitit: qua de causa apud cognominem Roman. Pontificem accusatus fuit,

fuit, ac si in Deo substantiarum diuersitatem induceret.

383. At personarum distinctionem aduersus Sabelianos cum eo propugnamus; licet eiusdem in Anabaptistarum dogma consensionem damnemus. *Diuin. pers. dist.*

384. Manes, qui et Manichaeus, circa id quoque tempus nouae haeresis virus effudit; duas singulis hominibus inesse animas, bonam vnam a principio bono, alteram malam a principio malo profectam blasphemans; Christoque carnem adimens, quam reapse malam, omnisque mali fomitem dicebat. *Manichaei.*

385. Hoc etiam saeculum illustrarunt Irenaeus, et Tertullianus, de quibus supra. Sed quos facile a Millenariorum errore vindicare possis.

386. Post Clementem Alexandrinum floruit ipsius discipulus Origenes, qui animas ab initio extra corpus creatas, eoque in statu bonam sibi, aut malam sortem promeruisse, adseruit. *Origenes.*

387. Vnde quamcumque illarum siue ad gloriam, siue ad poenam praelectionem, ex naturalibus earumdem meritis, vel demeritis, ante vnionem cum corpore comparatis, repetendam immerito duxit.

388. Quod attinet ad Ecclesiarum hoc saeculo disciplinam, Urbanus Papa omnia ministeria, siue vasa sacra, calices nimirum et patenas, fecit argentea: Iohannes Euangelista Pontificale adhibuerat: Ignatius vero martyr formam alternatim canendi (quantumuis ipso, vt plures existimant, antiquiorem) in Ecclesiam Antiochenam inuexerat. *Vasa argentea, forma canendi, cet.*

Hinc

389. Hinc patet , vestium sacrarum , canticorum , cet. vsum , et firmari vetustate , et sola iniuria ab haereticis irrideri.

SAECLVM QVARTVM.

Fabella de 390. *Const. Imp.* **Z**osimi Gentilis Historici narratio de Constantino Magno Imper. ad Christianos recurrente pro eluendo scelere in Crispi filii , et Faustae vxoris interfectione perpetrato , postquam intellexerat in Ethnica Religione expiari illud non posse , fabella est in Christianorum odium consarcinata.

Donatistae. 391. Huius Imp. tempore Donatistarum secta erupit , quorum martyres , sicut et aliarum extra Ecclesiam sectarum , homines quidem occisi fuerunt ; at veri martyres nullo modo esse potuerunt.

392. Donatistae , opem ferente Lucilla , Hispana femina , vlllo absque iure et Caecilianum a Carthaginensi deturbarunt sede , et Maiorinum a Donato ordinatum in illius locum subrogarunt.

Impii etiam 393. Aduersus eorum haeresim statuimus , non *in Eccl. sa-* *crament. mi-* *nist.* **I**ustos et perfectos esse Ecclesiae membra , sed improbos etiam ac sceleratos , dummodo fidem atque vnitatem seruent : qui insuper (si omnia requisita adsint) valide conficiunt , ac conferunt sacramenta.

394. Verum citra necessitatem peti non debent sacramenta ab impio ministro.

Sed

395. Sed et Sacerdos lethali culpa innodatus , si fieri possit , debet sacramentalem confessionem administrationi sacramentorum praemittere : quam utique dispositionem illi etiam habere debent , qui sacramenta recipiunt , quae *viuorum* adpellantur.

396. Praecipua haeresis , quae hoc saeculo Ecclesiam vexauit , illa fuit Arii , qui Filii diuinam , aeternam, *Ariana haeresis.* Patrique consubstantialem naturam denegauit.

397. Immerito huius erroris insimulantur Ignatius martyr , Iustinus , Athenagoras , Irenaeus , Clemens A- *Patres vindicati.* lexandrinus , ac Tertullianus. Ab eo tamen purgari nequit Origenes Adamantius ; ac vix quidem Eusebius Caesarensis , cuius fides pendet in ambiguo.

398. Ario autem permultos sui dogmatis vindices quotidie sibi adsciscente , necesse fuit Oecumenicam Ni- *Synodus Ni-caena. Vox omoousion.* caeae in Bithynia celebrari Synodum , in qua et Arius ipse damnatus est ; et filius Dei Patri consubstantialis coaeternusque adsertus ; et vocabulum *omoousion* opportune receptum , symboloque additum ac consecratum.

399. In eo , praeter alia decreta , editi sunt canones , qui vicenarium numerum non excedunt.

400. Post Athanasium vero a sede pulsum , eidemque restitutum , Iulius (euocato ad se iudicio) exsules *Eccles. Rom. primatus.* Episcopos in pristinas , vnde eiekti fuerant , sedes restituit : quo Romanae sedis supra ceteras omnes primatum agnoscimus.

401. Ariani autem , non modo Eustathium Antioche-

H

che-

- chenum, Athanasium, et Paullum Constantinopolitanum; sed Osium quoque Cordubensem vexarunt: qui tandem moriturus et Arianam haeresim damnauit, et a quoquam recipi, ac probari prohibuit.
- Osium Cordub.*
- Liberius P.* 402. Vexarunt quoque Liberium Papam: qui nec secundae, nec tertiae Sirmiensi formulae; sed primae dumtaxat, *omousion* vocabulum reticenti, subscripsit.
- Macedoniani.* 403. Prodiit etiam hoc saeculo Macedonius C. P. aduersus cuius haeresim habita est Constantinopoli Synodus Oecumenica, quacum in Spiritum sanctum credimus vna cum Patre Filioque adorandum, et conglorificandum; quique ab utroque, ceu ab vnico principio, procedit.
- Apollinari-stae.* 404. Aduersus Apollinarem etiam, illiusque assecclas, Christum non carnem anima dumtaxat sensitua, sed rationali quoque informatam sumsisse arbitramur.
- Priscillianistae.* 405. Sed et Priscillianus, Democriticum fatum contra Ecclesiae fidem renouans, omnia a siderum influxu pendere decreuit.
- Audiani, et Eunomiani.* 406. Similiter aduersus Antropomorphitas, alio nomine Audianos, Deum adserimus purum ac simplicem spiritum, ab omni prorsus corporis conditione alienum; sicuti nec lumine dumtaxat naturali videri ab aliquo posse, aduersus Aëtium et Eunomium.
- Conc. plenar. August.* 407. Hoc saeculo rebaptizantium quaestio finita est, teste Augustino; qui per *Concilium plenarium* non Arelatense indicauit, sed Nicaenum: quamquam neque in
hoc

hoc explosus omnino est error , sed vnanimi deinceps Catholicorum consensu , ac multiplici Concilio.

408. Rebaptizantibus non adhaesit Athanasius ; cui *Athanasii* an symbolum ipsius nomine vulgatum tribuendum sit, *symbolum.* iure meritoque dubitatur.

409. Optatus Mileuitanus ratum habuit baptisma ab *Optatus Mi-* schismaticis datum ; an etiam collatum ab haereticis ? *leu.* incertum.

410. Basilius quoque , licet vindicari omnino ne- *Basilius,* queat , culpari tamen simpliciter , siue omni ex parte, non potest.

411. Protulit et hoc saeculum Cyrillum Hierosoly- *alii PP.* mitanum , vtrumque Gregorium , Nazianzenum ac Nisenum , aliosque , de quorum scriptis plura , si oportuerit , dicemus.

412. Quod vero spectat Ecclesiae disciplinam , Con- *Aqua vino* cilium Carthaginiense III. in Eucharistiae consecratio- *consecrando* ne aquam vino miscendam tradit : quae vtique per- *miscenda.* mixtio ex antiqua Ecclesiae consuetudine et praecepto ; non ex diuino , neque ex sacramenti necessitate descendit.

413. Sed in modica etiam quantitate aqua misceri debet , quae in Christi sanguinem conuertitur. Sed an prius in vinum quoque conuerti debeat , non est prorsus definitum.

414. Fermentum , de quo mentio fit hoc saeculo, quodque ad Ecclesias ab Apostolorum tempore defere-

H 2

ba-

Azyymi con- batur , non erant Eulogiae , sed Eucharistia pane azy-
secrandi. mo consecrata.

415. Azyymi quoque panes in Eucharistiam conse-
crandi ex Ecclesiae disciplina exiles esse debent , ac fi-
gura rotundi.

Baptismus 416. Rursus , hoc saeculo consuetudo inualuit bap-
non differen- smum in longaeuam aetatem differendi : in qua nihil
aus. commodi , plurimum tamen periculi animaduertimus.

Cereorum usus 417. Porro , cereorum vsum altius repetimus ; at
antiquus. hoc saeculo memoratum propugnatumque scimus : quo
nouatoribus illius osoribus ora obstruuntur.

SAECVLVM QVINTVM.

Pelagiana 418. **P**elagianae haeresis initium non Paullus Sa-
haeresis. motasensis , sed Origenes quodammodo fecit.

419. Eamdem sectatus est Ruffinus Aquileienseis ; cui
praeluserat etiam Theodorus Mopsuestenus.

420. Incertum porro est , fueritne Pelagius Anglus,
Hibernus , an Scotus ; sicut et incerta est patria Coele-
stii ; quos vtrosque veros fuisse Monachos inficiamur.

Pelag. hae- 421. Haeresis Pelagianae tres status admittimus ; in
res. status. quibus , quid Pelagius senserit , enucleabimus. Dicimus
tamen , eum actualem gratiam non agnouisse ; licet agno-
uerit habitualem , sensu tamen haud prorsus catholico.

422. Hanc haeresim aliquo adhibito temperamento
sectatus est Iulianus Episcopus Eclanensis , qui aliquam
gra-

gratiam necessariam fatebatur ad boni operis incrementum ; nullam ad initium , siue ad perfecti boni cupiditatem. Et hinc origo haeresis semi-Pelagianae.

423. Haec autem praecipue in sectam coaluit post *Haeresis semi-Pelagiana.* delatum in Gallias Augustini librum *de Corrept. et Grat.* Monachis Lirinensibus eius doctrinam insectantibus.

424. Quinam fuerint , et qua fulserunt dignitate Hilarius et Prosper , qui hanc rem M. Augustinum admonuere , dicemus in palaestra.

425. A semi-Pelagianis stetit videtur Cassianus , *S. Cassianus, Lirinensis, allii.* Ioh. Chrysostomi discipulus , et doctrina et sanctitate alioquin percelebris : at non Chrysostomus ipse.

426. Cassiani partes amplexati sunt Faustus Reiensis , Vincentius Lirinensis , Gennadius , et Hilarius Arelatensis , de quo , an sententiam retractauerit , dubitatur. Sed haec absque vilo sanctitatis ipsorum praeiudicio dicta volumus.

427. Aduersus vtramque haeresim adserimus , I. praeter *Gratiae necessitas.* habitualement gratiam , necessarium esse ad actus supernos praemouens aliquod actuale adiutorium. II. Christi gratiam ad initium fidei esse necessariam ; neque illius acceptationem et vsum ex solo arbitrio pendere.

428. Nulla eo tempore fuit haeresis Praedestiniana. *Haeresis Praedestiniana.* Immo ne Goteschalchus quidem Praedestinianus fuit, sed verae caussae imprudens dumtaxat adsertor.

429. Ceterum Patres , qui ante Pelagium scripsere, *Praedest. gratuita.* praedestinationem gratuitam admisisse credimus ; qui

ve-

vero post Augustinum florere , propugnasse quoque adfirmamus.

Nestorius; C. Ephes. B. V. M. Deipara nuncupanda. 430. Eodem saeculo Nestorius duas in Christo personas agnuit , B. V. Mariam Christiparam , non Deiparam adseuerans. Quem errorem et N. Cyrillus Alexandrinus primum , et Synodus Ephesina , cui praesedit ipse , postmodum profligarunt.

431. Hinc vnica in Christo admittenda est persona; atque B. V. M. *Theotocos* , id est , Deipara nuncupanda.

Cyrillus Alex. 432. Cyrillo Apollinarii haeresis , ac inhumana Hypatiae trucidatio , eiusque membrorum discerptio per inuidiosam calumniam obiecta est.

Eutyches. 433. Eutyches quoque , licet diuinam et humanam Christi naturam ante Incarnationem distinxerit ; in ea tamen ita vtramque permixtam ac confusam voluit , vt in vnam tantum coaluerint.

Syn. Chalced. 434. Sed tam aduersus illum , quam aduersus Dioscorum , cum Chalcedonensi Oecumenica Synodo , Christum in duabus naturis *inconfuse* , *immutabiliter* , *indiuise* , atque *inseparabiliter* agnoscendum profiteamur.

S. Hieronym. 435. S. Hieronymus hoc etiam saeculo nouum Testamentum graecae fidei reddens , vetusque iuxta hebraicam veritatem transferens , versionem latinam adornauit , ex qua , et ea , quam *Italiam* Augustinus dixit , conflata est nostra vulgata.

436. Haec vsque adeo fidelibus retinenda est in iis,
quae

quae ad fidem et mores spectant, vt ad hebraica, grae- *Vulgata Scri-*
caue exemplaria amplius recurrere necesse non sit. *pt. S. edit.*

437. Nihil tamen inde hebraicis aut graecis fonti-
bus detractum volumus.

438. S. Ioh. Chrysostomus aduersus Eunomium et *S. Ioh. Chrys.*
Aëtium scribens, non Dei visionem in se, sed solam
comprehensionem possibilem negauit.

439. Sed neque Armenorum fuligine adpersi sunt *Alii PP. vin-*
Ambrosius, vterque Cyrillus, Hierosolymitanus et Ale- *dic.*
xandrinus, Gregorius Nissenus, Epiphanius, Basilius,
Isidorus.

440. Potest ergo humana mens, superno aliquo lu-
mine irradiata, Deum vt est in se totum conspicere; il-
lum comprehendere nullatenus.

441. Fictitium quoque est lumen illud increatum, *Palamitarum*
quo Graeci Palamitae Deum se videre iactabant. *error.*

442. Neque circa animarum statum errauit Ambro- *Ambrosius*
sius: quin immo expresse docuit, iustorum animas corpo- *de animarum*
re solutas in coelum conscendere, ac lumine sempiterno *statu male*
donatas Deum facie ad faciem intueri. *non sensit.*

443. Quod si Augustinus de secretis animarum re- *August. de*
ceptaculis fluctuare visus est, id proculdubio fuit sum- *anim. recept.*
mae illius perspicacitatis indicium; at de ipsarum gloria *sentent.*
et felicitate minime dubitauit.

444. An vero Deus corporeis oculis videri possit? *Deus an ocu-*
dubitare alicubi videtur Augustinus; sed aientium opi- *lis corporeis*
nioni nusquam adhaesit. *vid. possit?*

An

445. An id fieri queat inspecta Dei potentia absoluta? sunt e schola Baconica qui adfirmant, sunt etiam qui negent; vtrique non absque veri similitudine.

Hymn. Te Deum, cet. 446. Hymnus *Te Deum laudamus*, et Ambrosio, et Augustino, ceu veris auctoribus, iure merito tribuitur.

Campan. vsus. 447. Hoc quoque saeculo S. Paullinus Nolanus Episcopus *campanas*, aut *nolas*, sic a Nola Campaniae vrbe dictas, primus vsurpasse fertur; quarum baptizandarum ritus superstitiosus vtiq; non est.

SAECVLA VI. ET VII.

Nestorii haeresim nec Orientales, nec Theodoretus probarunt. 448. **O**rientales, qui cum Iohanne Antiocheno in pseudo-synodo Ephesina damnarunt Cyrilli anathematismos, neque Pelagii, neque Nestorii haeresim probarunt.

449. At tenuit aliquando Nestoriana dogmata Theodoretus, qui tamen postea resipuit.

Tria Capitula in Syn. V. gener. 450. Celebrata quoque est hoc VI. saeculo Synodus V. generalis, in qua, licet importune conuocata; tria tamen famosa Capitula iure, et absque praeiudicio Concilii Chalcedonensis, veluti Nestoriana damnata sunt.

451. Porro tria illa Capitula sunt Theodoreti scripta aduersus XII. anathematismos Cyrilli; Ibae Edesseni Episcopi epistola ad Marim Persam, in qua laudat Theodorum Mopsuhestenum; et huius scripta, quae Iudaicae nugae, et maledicta adpellantur.

Eo-

452. Eodem saeculo VI. prodierunt Seueriani, di- *Seueriani, at-*
cti *corrupticolae* seu *passibiles*, Christum defectus corpo- *que incorru-*
rales sola necessitate suscepisse aientes; ac Iuliani Halicar- *pticolae.*
nassensis asseclae *incorrupticolae* nuncupati, eosdem a Chri-
sto adsumtos denegantes; quos vno simul telo confodiemus.

453. Saeculo autem VII. e cineribus Eutyichianorum *Monotheli-*
suscitati sunt Monothelitae, qui vnicam in Christo et *tae.*
voluntatem et operationem adseruerunt: aduersus quos,
duas in eo agnoscimus naturales voluntates, duas pariter
operationes, prout a VI. Gen. Synodo definitum est.

454. In huius Synodi decretis pro Theodoro posi- *Honorii P.*
tum Honorium dicunt plures, non probant. *damnatio.*

455. Vere ergo iusteque damnatum Honorium cre-
dimus; sed haeresim Monothelitarum sectasse probare
non audemus.

456. At fuerit haereticus. Ergo pontificiae ex ca- *Papae iner-*
thedra definitiones aliquando fallunt? minime. *rantia.*

457. Trinam in baptismo immersionem, occasione *Ritus bapti-*
Arianorum Filii cum Patre consubstantialitatem ex ea *smi apud Hi-*
oppugnantium, Hispani Episcopi deseruerunt, vnica in- *spanos.*
ducta; quam consuetudinem Gregorius P. Magnus ad-
probauit epist. ad Leandrum, quae genuina est.

458. Hoc etiam saeculo Sisebutus Hispaniarum Rex *Iudaeor. bapt.*
Iudaeos, eorumque filios ad suscipiendum baptisma coë- *a Sisebuto,*
git: quod quidem factum omnino probare non possu- *cet.*
mus; quum nemo inuitus ad amplexandam Religionem
cogi debeat.

I

A

A SAECULO VIII. VSQVE

AD XII.

Iconomachi.

459. **P**rodiere saeculo VIII. Iconomachi, siue Iconoclastae, id est, sacrarum imaginum hostes, quibus damnandis habitum est Concilium Nicaenum II. cum quo, et aduersus oppositas hinc inde ortas sententias adserimus, sacras imagines in se ipsis, et proprie honorandas quidem esse; at minori tamen honore, quam earum exemplar.

Confessio sacramentalis.

460. Prodiere quoque qui dicerent, peccata soli Deo esse aperienda: quos sectati sunt nouatores, confessionem ritum tyrannicum vocantes, legem grauissimam, atque conscientiarum intolerabilem carnificinam.

461. Verum confessio sacramentalis hominibus post baptismum lapsis a Christo praecepta est, atque in Ecclesia perpetuo custodita.

Partic. filioque additio; ac schisma Graecorum.

462. Ante hoc saeculum forma sacramentorum conditionalis non obtinuit: fas tamen est illa quandoque uti in conferendis sacramentis.

463. Saeculo VIII. celebratum est Concilium CP. III. Oecumenicum contra Photium, qui particulam *filioque* Symbolo additam reiecit; auctorque fuit schismatis, quod Ecclesiam Graecam a Latina prorsus diuisit.

464. Ceterum illius particulae additio optimo iure

fa-

facta est ; quum reapse Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat.

465. Immo si a Filio non procederet , ab ipso nequaquam distingueretur.

466. Per id temporis inualuisse primum apud Graecos vsum fermentati sentiunt aliqui , quod tamen incertum putamus ; licet verosimilius sit obtinuisse iam ante exortum schisma Photianum. *Vsus fermentati.*

467. At tam valide in fermentato Graeci , quam in azymo Latini Eucharistiam conficiunt : neutrique licet , Ecclesiae suae ritum mutare.

468. Verba etiam consecrationis , aptius submissa , quam elata voce proferuntur.

469. Apud Graecos confirmationem ministrat simplex Sacerdos , facultate quidem extraordinaria , quae aut consuetudine vniuersim recepta , aut Rom. Pontificis vel adprobatione , vel permissu comprobatur. *Extraordinarius confirmationis minister.*

470. In Occidentali vero Ecclesia requiritur specialis summi Pontificis delegatio , vt confirmatio a simplici Sacerdote ministrari queat.

471. An etiam eidem committi possit chrismatis consecratio ? non est omnino exploratum.

472. Verba quibus vtuntur Graeci , dum confirmationem administrant , idonea sunt forma , non secus ac quae proferunt in baptismo ; quae non equidem deprecatiua sunt , sed enuntiatiua , vt loquuntur. *Forma confirmationis.*

473. Baptisteria quoque non nisi labente saeculo *Baptisteria in Hispania.*

VIII. in Hispaniis multiplicata fuere ; quum vnicum antea in vnaquaque ciuitate exstiterit.

Stercoranistae. 474. Stercoranistarum secta , quae hoc saeculo viguisse fertur , commentitia plane est , ac omnino ficta.

Infideles parentib. inu. baptizati. 475. Circa factum vero Caroli Magni , Saxones et Hunnos ad baptismum adigentis , idem dicimus , ac de Iudaeis a Sisebuto baptizari iussis. Sunt tamen casus, quibus infidelium inuitorum filii baptizari licite possunt.

Polygamia, quomodo licita? 476. Saeculo X. grauis concertatio orta est ob quartum Leonis Imperatoris matrimonium , qui vel tertias nuptias prohibuerat , cet. Ast polygamiam successiuam, qua plures vxores post aliarum obitum ducuntur , licitam ; simultaneam vero , lege Euangelica prohibitam censemus.

Leo VIII. illegitime electus. 477. Otho etiam , Germanorum Imperator , Conuentum Episcoporum celebratum voluit , in quo Ioh. XII. deposito , Leo dictus VIII. nullo iure subrogatus est.

Pont. legit. deponi nequit. 478. Neque enim Ecclesia Papam legitimum ac indubitatum deponere potest.

Haeresis Berengarii. 479. Vndecimo saeculo prodiit haeresis Berengarii, realem Christi corporis ac sanguinis praesentiam et transubstantiationem negantis ; aduersus quem adserimus, *vere et substantialiter* , vt inquit , Christi corpus et sanguinem in Eucharistia contineri.

480. Id autem nec Ratramnus Monachus Corbeien-
sis

sis, nec Rupertus Abbas, nec Hieremias Patr. Constantinopolitanus inficiati sunt.

481. Sed Eucharistia quoque panis, figura corporis Christi, & antitypa, catholico quidem sensu, adpellatur. *Eucharistia var. nom. adpell. ac rite in templ. custoditur.*

482. Ex reali corporis et sanguinis Christi praesentia in symbolis Eucharisticis colligitur, Eucharistiae sacramento deberi cultum latriae, qui semper et vbique eidem exhibitus fuit.

483. Illam etiam in templis rite adseruari, ac diligenter custodiri, Ecclesiae canonibus iure praescriptum est, quemadmodum et eius species frequenter renouari.

A SAECULO XII. AD XVI.

484. Saeculum XII. illustravit S. Bernardus, qui a Catholico dogmate de praesenti animarum statu minime recessit. *S. Bernardus.*

485. Petrus Abaelardus mysterium Trinitatis solo ingenii acumine positivae (vt aiunt) probari posse frustra contendebat. *Petrus Abaelardus.*

486. Gilbertus quoque Porretanus diuinam simplicitatem euertit, dum a natura Deum, personas a relationibus, concretum ab abstractis realiter seiunxit. *Gilbertus Porretanus.*

487. Porro diuina attributa inter se, eademque pariter et relationes ab essentia non absolute, sed intentiona-

naliter tantum, seu relate ad mentem, vt N. Ioh. Baconii schola loquitur, distinguuntur.

Petrobrusiani. 488. Petrobrusiani hoc etiam saeculo paruulis baptisma ante rationis vsum im pie denegabant : quum illud vtiliter conferri queat omnibus iam natis ; licet non paruulis in vtero existentibus, ante vuluae apertionem.

Petrus Lombardus. 489. Claruit hoc saeculo Petrus Lombardus, cuius in tractanda Theologia methodum non simpliciter necessariam, sed vtilem tamen propugnauimus.

490. In Theologiae vero arcem reliquas scientias, sc. Dialecticam, Philosophiam, cet. admittimus ; non quidem vt dominas, sed vt ancillas, scientiarum omnium reginae inseruientes.

Scholastica Theologia. 491. Scholastica autem Theologia maximum Ecclesiae adiumentum adfert, siue ad scripturas commodius intelligendas et interpretandas, siue ad errores vberius ac neruosius detegendos refellendosque, siue ad Patres securius vtiliusque legendos.

Theologorum auctoritas. 492. Concordi omnium scholae Theologorum sententiae refragari, haeresi proximum est ; communi, in re graui fidem moresque spectante, plerumque temerarium ; plurium vero, aliis contra pugnantibus, licitum.

S. Thomas Aquinas. 493. Decimo tertio saeculo floruit praecipue S. Thomas Aquinas, cuius discipuli ad omnes caussarum secundarum actiones necessariam dixere physicam a Deo praemotionem, sine qua nec creaturae a Deo dependentia, nec eius libertas consistere queat.

Ce-

494. Ceterum, quod attinet ad actiones ordinis (vt *Physica prae-*
aiunt) naturalis, sunt qui S. Thomam praemotionem *motio.*
physicam haud agnouisse putent: quorum opinionem ro-
gati expendemus; quidque probabilius adpareat, enuclea-
bimus.

495. Eorum vero sententia, qui diuinorum auxilio-
rum efficaciam, aut ineffaciam, ab arbitrii nostri coo-
peratione pendere aiunt, a schola nostra penitus elimi-
nanda est, non secus ac scientia media, etiam vt a Con-
gruistis temperata.

496. Quidquid ergo per varias diuinae scientiae par- *D. scientiae*
titiones praestant aliarum scholarum Theologi, id totum *partitio.*
cum cl. N. Ioh. de Baccone per eiusdem adaequatam di-
uisionem in *speculatiuam*, et *dispositiuam* exponemus.

497. Optimo etiam consilio festum Corporis Christi *Corporis Chr.*
hoc XIII. saeculo institutum est; sicuti et eiusdem pro- *festum, et*
cessio saeculo sequente. *process.*

498. Religiosissimum pariter est, aliis quoque tem-
poribus Eucharistiam exponere, et circumgestare; dum-
modo praescriptae seruentur praeceptiones.

499. Nulli vero fas est, nostris praesertim tempori-
bus, Eucharistiam in itinere deferre, nisi Romanis Pon-
tificibus, quibus decenter praefertur.

500. Labente saeculo XIII. Anomoeorum haeresim *Beguardorum*
reducentes Beguardi adseruerunt, quamlibet naturam in- *error.*
tellectualem se ipsa esse beatam; neque indigere lumine
gloriae ad Deum videndum. Id quod de naturis modo

ex-

existentibus loquentes , ceu manifestum errorem reiicimus ; de possibilibus vero , dubitamus.

Ioh. XXII. 501. In errorem de dilata animis beatitate incidisse
R. Pont. dicitur Iohannes XXII. quem Bullae Sabbathinae approbatorem , ac promulgatorem agnoscimus.

502. Verum hic R. Pont. nullo decreto sancivit , animabus omni labe purgatis visionem Dei , beatorumque consortium ad extremum vsque iudicium differri.

503. Nec id vnquam adsertiue , vt aiunt , propugnauit : immo ante obitum , dogma Catholicum et tenuit , et tradidit.

Millenarii 504. Hinc mille annorum regnum , et dilata ad mundi
prorsus da- di finem beatitudo , definitionibus Benedicti XII. ac CC.
mnati. Florentini , et Tridentini explosa omnino sunt : vt propterea iure nobis propugnandum sit , piorum animas , quibus nihil superest luendum , statim post mortem Deum intueri , siue clare videre.

Synodus Constantiensis. 505. Saeculo XV. habita est Synodus Constantiensis pro tollendo trium de Papatu contendentium schismate : a qua decretam ac definitam Concilii generalis supra Pont. Rom. auctoritatem nec historiae series , nec verborum tenor conuincunt.

Th. Waldensis contra Wiclef. cet. 506. Damnatae sunt in hoc Concilio haeresis Wicleffi , ac Ioh. Hussii , aduersus quas inuictissimus N. Thomas Waldensis strenue pugnavit.

Pontif. Conc. ac PP. auctoritas ab Waldensi adserta. 507. Hic Romanorum PP. Conciliorumque ab ipsis probatorum decreta , ceu fidei ac morum certissimam

re-

regulam habuit: SS. quoque PP. traditionum custodes, idoneosque Scripturae expositores adseruit; adeo ut quemadmodum nefas est, Scripturam sacram, Christique et Apostolorum traditiones spernere; ita nec earum testes ac denuntiatores, nimirum veteres SS. Pont. Summ. atque Concilia: in quibus adserendis Waldensis doctrinam sectabimur.

508. Celebratum etiam est hoc saeculo Conc. Florentinum pro stabilienda pace Graecos inter atque Latinos. Sed illis opera Marci Ephesii dissidentibus opponimus, a Latinis nusquam damnatam fuisse trinam a Graecis adhibitam in baptismo immersionem; sed statutum, ut sua cuique Ecclesiae praescripta consuetudo seruetur. *Concil. Florentin.*

SAECVLVM XVI.

509. **P**lures hoc saeculo haereses euomuit auer- nus; ac primum quidem eam, quae Lutherum auctorem *Lutherus.* habet docentem, sola fide absque operibus iustificari hominem; sacramenta nouae legis non conferre gratiam, nec characterem imprimere; confessionem auricularem figmentum esse humanum; in Eucharistia post consecrationem manere panem; in Ecclesia solos iustos ha- *Sacramenta N. L.* bere locum, cet.

510. Hinc eius sequaces, quum non modo sacramenti, sed et materiae ac formae nomen rideant, omnesque caerimonias et ritus spernant, iustificationem soli

K

fi-

fidei tribuentes ; nihil interesse aiunt , an sacramenta mimice conferantur.

511. Similiter verba , quibus in sacramentorum collatione utimur , non quidem consecratoria , sed concionatoria dumtaxat ac promissoria dicunt ; quae omnia sectarios vna cum suo duce impie blasphemasse non vno momento suadetur.

Caluinistae 512. Altera quoque huius saeculi haeresis est Caluinistarum , contendentium , baptisma Iohannis eiusdem virtutis esse ac Christi baptisma , cuius necessitatem negabant , fidelium pueros absque illo salutem adipisci posse aientes.

quorundam sacram. osor. res. 513. Peccata , etiam post baptismum commissa , sola baptismi recordatione deleri inquiebant ; confirmationem , extremamque vñtionem sacramenta fore denegantes.

514. Eorum tamen omnium adsertores , vna cum Caluino , sacris litteris , Pontificum et CC. definitionibus , sanctorumque PP. traditione apertissime damnantur.

Dogma de caractere sacram. 515. Ex horum schola prodire , qui paruulos , iustam aetatem ingressos , interrogandos docent , num in suscepto baptismo ac religione christiana permanere velint ? Quam insaniam explodit dogma de caractere , ab Innocentio III. minime inuentum , neque ab scholasticis iam inde a tertio decimo saeculo propugnatum.

516. Characteris vero nomen iam ab Augustino P. usurpatum fuerat ; at rem eo nomine significatam vna cum

cum sacramentis ipsis coepisse catholica docet fides, multiplici argumento munita.

517. Ergo sicuti characterem inficiari, ita quid reapse ille sit? certo definire non possumus.

518. Error quoque Grotii baptisma nostrum lustrationibus Gentium ac Iudaeorum aequantis, non secus explodendus nobis est, ac eorum, qui aquam frustra benedici tenuerunt.

519. Emergere hoc etiam saeculo Sociniani, Filium *Sociniani.* et Spiritum sanctum personas diuinas non esse autumantes; Filiumque non opere, sed consilio; non merito, sed praeconio; non efficacia, sed exemplo saluatorem, redemptoremque frustra adserentes.

520. Frustra quoque animas post hominum mortem superstites, mortuorumque resurrectionem negant; sicuti et frustra docent, nihil esse credendum, nisi quod rationi obuium et manifestum sit. *Animorum immort. Resurrectio, cet.*

521. Sed et in hoc peccant Sociniani, quod baptismi nomine in sacris litteris non nisi institutionem doctrinamque euangelicam, vlllo absque fundamento solido, significari velint.

522. Labente hoc saeculo probabilismus, et scholas, et Theologorum mentes misere contorsit. Qua in *Probabilismus.* controuersia haec statuimus:

523. Opinio probabilis, nisi conscientiam moraliter certam ingeneret, recta non est morum regula.

524. Nefas propterea est, sequi opinionem *tenuiter,*

K 2

im-

8

immo et *minus* probabilem , quae libertati adblanditur , in concursu probabilioris stantis pro lege.

525. In conflictu vero opinionum aequae probabilitatis , nequit tutior absque flagitio derelinqui.

SAECVLA XVII. ET XVIII.

526. *Iansenius.* Sopitis saeculo XVI. erroribus Michaëli Bacio adtributis , nouas turbas saeculo sequenti excitauit Cornelii Iansenii *Augustinus* , ab Urbano VIII. damnatus.

527. Excerptas ex eo quoque libro quinque famosas propositiones , S. P. Augustino plane aduersas , Innocentius X. merito proscripsit.

Papae iudicium in qq. facti, et iuris. 528. Occasione huius controversiae , acriter disputatum est , an Papae iudicium in quaestionibus *facti* aequae infallibile sit , ac in quaestionibus *iuris* ? Similiter , an qui dicebantur Ianseniani , silentio obsequioso (vt aiunt) ac simulatione , Alexandrino formulario rite satisfecerint ? Qua de re nostrum iudicium aperiemus.

529. Saeculo hoc XVII. atque etiam XVIII. sequenti , immensa quaestionum farrago in Theologiam inuecta est. Nonnullas haud omnino inutiles iudicantes , adserimus sequentes :

*Theologiae in-
doles.* 530. Theologia est vere scientia , quamuis non eiusdem speciei cum aliis : habitus insuper vnicus , *materialiter* quidem et quoad entitatem (vt aiunt) naturalis , sed *formaliter* supernus , qui modo in contemplatione,

mo-

modo in praescribendis operis faciundi regulis versatur.

531. Adaequatum Theologiae obiectum *materiale* est *Obiectum*,
omnis conclusio, quae ex fidei propositionibus inferri
potest; *formale* vero, diuina reuelatio.

532. Haec propositio: *Deus existit*, non *a priori*,
vt aiunt; sed *a posteriori* dumtaxat est euidenter de-
monstrabilis.

533. Existentia Dei ab huius essentia nullatenus *Dei natura*,
cum fundamento differt. Ast Dei naturam nullum aliud
diuinum *praedicatum* constituit, praeter *intelligere radica-*
le; quo nomine *intelligentiam primam*, id est, *aseitatem*,
siue *intelligendi independentiam* significamus.

534. Vnitas, veritas, et bonitas, Dei attributis ac- *Attributa*,
censentur; sicuti et diuina simplicitas, quae omnem com-
positionem, etiam rationis, excludit.

535. Eisdem quoque adnumerantur infinitas, immen-
sitas, aeternitas, immutabilitas, omnipotentia, cet. quo-
rum neutrum in conceptu alterius includitur.

536. Inaequalitas meritorum, gratiae muneribus in *Visionis bea-*
via comparatorum, causa moralis est praemiorum, quae *tae inaequa-*
in patria obtinentur; effectrix vero ab inaequalitate lumi- *litas*,
nis gloriae repetenda est, non ab inaequalitate intellectus.

537. Primarium beatificae visionis obiectum, vt *obiectum*,
scholastici loquuntur, est quidquid in Deo *formaliter*
continetur; adeo vt nulla potentia fieri possit, vt es-
sentia absque attributis, aut vna persona sine alia a bea-
tis videatur.

Spe-

Species. 538. Speciem impressam, et verbum mentis a visione beata relegamus. An vero repugnent? in vtramque partem haud improbabiler disputatur.

Scientia Dei. 539. In Deo agnoscenda est potentia intellectiua per modum actus primi ab actuali intellectione *conceptibiliter* distincti: atque etiam scientia, quae nec *formaliter*, nec *virtualiter* discursiua sit.

540. Obiectum formale specificum diuinae intellectiōnis est ipsa Dei essentia, vt ab attributis *obiective* distincta: attributa et relationes sunt obiectum secundarium intrinsecum: creaturae vero resultatium tantum, vt schola D. R. loqui consuevit.

Dei voluntas. 541. Celeberrima est diuisio diuinae voluntatis in antecedentem et consequentem. Haec semper impletur. An etiam illa? lis est sub iudice pendens.

542. Deus amat creaturas posibles secundum propriam earum naturam, amore quidem formaliter ac simpliciter libero, necessario tamen *secundum quid*; qualis amor ille est, quo Deus suam met ipsius bonitatem prosequitur.

543. Diligit quoque res existentes omnimoda libertate: haec tamen libertas simplicitatem Dei non laedit.

Mysterium SS. Trinitat. 544. Non modo existentia, sed ne possibilitas quidem mysterii SS. Trinitatis, argumentis a lumine naturae ductis, demonstrari potest.

545. In Deo duae tantum processiones reales *ad intra*

tra admittendae sunt, nempe, diuini verbi generatio, et spiratio personalis amoris.

546. Relationes quoque originis, penes vtrumque respectum reales, in Deo admittimus; quae tamen et quaternario clauduntur numero, et inepte per puras negationes explicantur.

547. Verbum diuinum ex cognitione essentiae, attributorum, omniumque simul personarum procedit.

548. Incarnationis etiam possibilitas quodammodo *Incarnatio.* suaderi potest; non vero demonstrari, siue *a priori*, siue *a posteriori*, vt aiunt, adhuc supposita fide.

549. Poterant quoque tres diuinae personae naturam humanam vnam, tres, et quascumque, vt libuerit, adsumere.

550. Purus homo, nulla in hypothesi, potuisset Deo satisfacere ad strictas iustitiae leges, siue pro suo, siue pro alieno peccato lethali.

551. Actualis gratiae adiutorium est mentis illustratio, et inspiratio caritatis: verumtamen in delectatione *Gratiae adiutorium.* illud potius, quam in illuminatione situm est.

552. An vero sit qualitas ab intellectu et voluntate entitatiue, vt inquirunt Peripatetici, distincta? quemadmodum nec de lumine gloriae, nec de charactere sacramentali definire Ecclesia voluit, ita nec nos definire audemus.

553. Similiter disputatur in scholis, num sacramenta sint caussa physica, an tantum moralis ipsius gratiae,
siue

siue actualis, siue habitualis? An etiam iustificatio obtineri possit, Deo ex absoluta potentia sine aliqua forma creata, quae animae intrinsecus inhaereat, operante? Sed non est cur in eiusmodi tricis amplius immoremur.

Athei, et Pantheistae. 554. Nostra demum, aut potius patrum atque auorum memoria, (quod ad saeculi nostri dedecus pertinere videtur) quorundam insania erupit, qui gigantum more, bellum Deo inferre studuerunt, ipsius existentiam negantes, vel eiusdem naturam cum materia vbique diffusa confundentes.

555. Quod ad priores attinet, ita reuincuntur ex contingentia rerum creatarum, ex caussarum secundarum motu et serie, ex rerum adspectabilium compagine, atque ex naturali hominum instinctu; vt omnino nobis persuassum sit, vel ob id nullam vnquam nationem, aut hominum coetum fuisse, qui Deum existere aut potuerit, aut possit inuincibiliter ignorare.

556. Quod ad posteriores vero, quam inani fundamento eorum systema innixum sit, facili negotio ostendemus.

Deistae. 557. Sunt etiam, qui Dei existentiam fatentur quidem; at omnia Religionis principia negant, ac subvertere conantur. Hos vulgo dicimus *Deistas*, quorum pestilentissima factio mirum quantum excreuerit.

558. Hi ex nuda dumtaxat hominum opinione, aut etiam ex circumstantiarum varietate pendere aiunt no-

stro-

strorum operum moralitatem ; adeoque habendum pro
morum regula quod cuique placet , aut dulce videtur.

559. At si vnice sit colenda voluptas , in eaque vir- *Principium*
tus conlocanda , non solum de virtute ac ratione , sed *moralitatis.*
de vniuersa etiam hominum societate ac felicitate actum
et conclamatum est.

560. Adserimus ergo , principium moralitatis ita ex
Dei cognitione peti oportere , vt nullum sit opus mora-
liter vndequaque bonum , quod in Deum eiusque volun-
tatem , saltem *virtualiter implicite* (vt inquiunt) non re-
feratur.

561. Hinc voluntas humana mirum si queat in me-
dio quodam consistere , vt nec bona , nec mala sit : aut
enim iustitiam prorsus diligimus , et est bona ; aut si
non omnino diligimus , bona vtique non est.

562. Praeterea quum Deus vniuersi gubernator sit,
leges suas vel seruantibus , vel infringentibus , aut prae- *Poena , vel*
mia statuit , aut poenas. *praemium fu-*
turum.

563. Quidquid vero hac de re pseudo-politici bla-
terent , vel ex solis Ethices principiis adserimus , adeo
vetustam esse de futuris in altera vita poenis ac praemiis
opinionem , vt eius origo et auctor inueniri nequaquam
possit.

564. Quapropter omnium animis veluti insitum cre-
dimus dogma de futuris in altera vita praemiis ac poe-
nis ; sicuti et pugnare cum diuinis attributis illorum sy-
stema , qui post mortem corporis nihil sperandum , ni-

L

hil

hil timendum , scelesto ore , sed conscientia reluctante contendunt.

565. Ab antiquis denique non modo admissus , sed aeternum quoque duraturus credebatur alterius vitae status , vti summo veterum Philosophorum consensu probatur.

566. Atque his quidem ad metam peruenimus ; ad annum scilicet millesimum septingentessimum octogessimum : nec enim plures aut pauciores interfluxisse et vulgo creditur , et N. Michaël a Iesu Maria Hualde demonstrandum adsumsit. Irrito ne an prospero ac felici successu ? rogati dicemus.

Mundi duratio incerta.

567. Circa tempus vero , quo mundus hic adspectabilis duraturus est , frustra insudant Theologi ; quum annos , qui huic saeculo remanent , computare ac definire nostra minime intersit , vt ipsius veritatis ore apertissime edocemur.

*Vt. Fr. Antonius Escoin S. Theol. Mag. Dr.
et Studiorum Regens.*

Potest praelo committi. *Vt. Madinabeitia, Imprimatur.
D. Almarza, V. G. Cens. Reg. Figueròa.*



